



109-30


7 Nicolai Crassi Junioris Eloquia

7 Tractatus Physico Mathematicus

7 Dissertatio de Othonibus Aereis

7 Claudii Chifletij de Antiquo nummis  
mate, Liber Postumus

*[Decorative flourish]*




17491639

NICOLAI CRASSI  
IUNIORIS  
ELOGIA

PATRITIORVM VENETORVM,

Belli, pacisque artibus illustrium.

*Custod.*



VENETIIS, MDCXII.

Apud Euangelistam Deuchinum.

---

*SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.*

Aplicase a la Libreria del Cor<sup>to</sup>  
de San Diego de Sevilla

J. Juan Conejero del<sup>co</sup> San<sup>co</sup>  
Mimo Real.

# SERENISSIMO

atque inuictissimo

# LEONARDO DONATO

VENETORVM PRINCIPI,

Amplissimoque, & incomparabili Senatui

# NICOLAUS CRASSVS

Philosophiæ, & I. V. C.

S. P. D.



*I qui sunt, Serenissime Princeps, Senatores amplissimi, qui vere laudis amorem, et ardentissimum erga Rem pub. studium hereditarium, ac veluti per manus acceperint, inter hos ego meum nomen & aliàs publicè retuli, & nunc etiam profiteri audeo.*

*Vellem sanè præclarior aliquod, certiusq; obseruantia meæ testimonium præbere, quale superioribus ætatibus, præter Marcum, & Lazarum, qui cunctas opes, & ipsam vitam reip. dignitate posteriorem duxere, Dominicus, & Franciscus maiores mei gloriosè dederunt. Quorum Alter Ligurum Hostium iterum, ac sapius captiuus, indeque Sclauus cognomentum nactus quatuor tandem nauibus longis suas ipse iniurias, & Reip. vices ultus est, hostili ora fadè populata,*

magnaque oneraria naui in medio ipso Genue portu capta,  
 ibique in hostium conspectu pecunia cusa, Venetorumq; si-  
 gnis ad hostium ludibrium impressis: Alter autem Roboret-  
 to oppido, quod Germani oppugnabant, egregie defenso, cum  
 deinde casu venisset in hostium potestatem, & in Germa-  
 niam missus esset, quia se aliter seruituti eripere non pote-  
 rat, miseram vitam cum gloriosa morte commutauit. Quo-  
 rum vestigijs insistens Nicolaus Auus meus non solū multi-  
 plici doctrina, et forensi eloquentia Venetum nomen pro vi-  
 rili parte illustrauit, sed etiam instructis semel, et iterum na-  
 uibus non sine gloriare maritimas aggressus est, Archypira-  
 ta cuiusdam biremi depressa, qui latrocinijs mare plurimum  
 infestabat: atq; vt aliquod diuturnum sui erga Remp. studij  
 monumentum relinqueret, Vas illud ornatissimum ex argen-  
 to, & chrystallo, quod in sanctiore Armamentario conditum  
 seruatur, amplissimo vestro Collegio donare constituit, à quo  
 benignè non modo acceptum est, sed etiam repensum. Mihi  
 verò pro virium mearum imbecillitate cum præclara maio-  
 rum meorum facinora æquare non liceat, hoc saltem, vt opto,  
 & spero, licebit, omnem operam, industriam, neruos, mentem  
 denique, & me ipsum totum, vt ita dicam, ponere in ijs vi-  
 ris ornandis, qui magno Reip. fuerunt ornamento, atq; vsui.  
 Utinam verò sit hoc tam perpetuum Veneti nominis, quàm  
 sincerum obseruantie meæ monumentum: Ego sanè, si quod  
 volui non potui, at quod potui maximè volui. Reique publi-  
 cæ ipsius exemplum secutus, immò verò omnium Rerumpu-  
 blicarum, & Populorum, apud quos in more positum, atque  
 vsu est receptum, vt in celeberrimis Urbium regionibus ci-  
 uibus



nibus optimè meritis statuas collocent, quæ scilicet singula-  
 rem virtutem repræsentent, et emulationem quandam aspe-  
 ctu suo iniñciant: ego quoque eorum effigies exprimere, qui  
 vel doctrina, vel bellica virtute multum excelluerunt, &  
 quasi vniuersæ Reip. statuas ponere constitui. Profectò ali-  
 quid laudis ex procerâ statura, et liberali facie hominibus ac-  
 cedit, sed ex animi bonis longè maior: Pulchra nobilitatis mo-  
 numenta Maiorum imagines longa serie spectandas exhibe-  
 re, at pulchrius virtutes, & facta: Clarum denique, æter-  
 numque est gloriæ testimonium statuas in Curia, in Templo,  
 in Comitio habere, verumtamen clarius, & perennius, docto-  
 rum hominum literis immortalis memoriæ consecrari. Scio me  
 huic labori multis de causis supersedere potuisse, sed veled  
 maximè, quòd in vobis omnibus, Senatores illustrissimi, teq;  
 præcipuè, Serenissime Princeps, cunctas virtutes subiecti  
 populi contemplari, & admirari faciliùs possint, quàm vel in  
 mortuis Heroum simulacris, vel in ieiunis, & angustiis quo-  
 rumcunque Elogijs. Is enim es, qui non modò Reip. Venetæ,  
 sed omnium sæculorum, & gentium princeps, tot, tantisq;  
 rebus felicissimè gestis, cæterorum omnium laudes non modò  
 æquas, verumetiam longo interuallo quàm maximè superas;  
 in quem Deus Opt. Max. tot, tantaque contulit, & corporis,  
 & animi ornamenta, ut nemo tibi iustitia, atq; pietate an-  
 teferri, eloquentia verò, et sapientia ne conferri quidem pos-  
 sit, incertumq; omnino facias, an te magis diuina munera ex-  
 ornent, an tu illa; ideoque non hominum magis, quàm Diuo-  
 rum suffragijs Princeps in ea Rep. es renunciatus, vbi iuxta  
 Hesiodi sententiam, Meliori parendum, vbi nata, & alta

cum

*cum Virtutibus omnibus Libertas, vbi Patritij cuncti Senatores, Senatores Principes, Princeps verò diuinum aliquod Numen iure merito existimatur. Vos autem illi estis, sapientissimi Patres, quibus nihil prudentius, iustius, sanctius non dicam expectandum, sed ne expetendum quidem cuiquam esse videatur. Sed quid ego? Vereor ne tantam maiestatem, & gloriam, cum amplificare non possim, imminuam verius, quàm referam; quapropter sicut res diuinas maxime decet, silentio potius, quàm longa oratione suspicio: cumq; iam pridem me, meaq; omnia vobis dedicauerim, hos etiam qualescumque ingenij mei fetus vobis consecro. Vt scilicet & vos eorum gesta recolatis, quorum emulati Virtutes, fama luminibus, prope dixerim, obstruxistis: et vestri Ciues ex aliorum contentione cognoscant, quantum Deo optimo debeant, qui tantum eis principem, tantosq; Heroes concesserit, quibus cum nemo ab omni saeculorum memoria rectè conferri possit. Ego certè mecum praclarissimè actum existimabo, si has Decades Elogiorum, quas inchoaui, Principes omnes, quicumque Reip. praesuerunt, atq; Patritios illustriores complexus, absoluerè aliquando, & expolire potuero; quod me facturum polliceor, inque me recipio, vbi hos meos conatus aliqua saltem ex parte vobis probari intellexero. Valete.*

7  
NICOLAI CRASSI  
I V N I O R I S,

In primam Elogiorum Decadem

P R A E F A T I O

A D L E O N A R D V M M O C E N I C V M

*Venetum Senatorem.*



Vinam, Leonarde Senator amplissime, primam hanc Decadem Elogiorum consecrare melius poteram, quam tibi? qui natus es ex ea gente, in qua tot viri principes, alter alterum æmulatus, vnus post alium florueret, vt

Mocenicum nasci, quasi prouerbio dici possit pro eo, quod est, hominem nasci ad honorem, & gloriam: qui tantis magistratibus, præfecturis, dignitatibus innocentissimè, atq; gloriosissimè perfunctus, ad ipsum Decemviratum, & sublimem Consiliarij gradum meritissimè peruenisti, vt inde postea turbulento Reipub. tempore Brixiam Præfectus, & in Continentem cum summo imperio Legatus missus, incredibile animi vim, atque robur, iustitiam, prudentiam, virtutes deniq; omnes præclarissimè, & ad miraculum vsque exerceres, ac ostenderes. Quod si ea demum vera gloria est, gloria dignum & esse, & omnibus videri,

cam

cam tu es tam abundè consecutus, vt nihil supra. Pa-  
 tere igitur, vt singulari nominis tui splendore huic  
 Elogiorum Decadi lucem quæram, & sincerum hoc  
 reuerentiæ meæ testimonium æqui, boniq; consule;  
 quod tibi vel eò maximè conuenire visum fuit; quòd  
 cum eorum sit, qui Reip. Duces præfecerunt, felix ti-  
 bi, & faustum omèn esse omnino debet, vt qui maio-  
 rum tuorum virtutes, & gloriam refers, scias etiam tibi  
 eorum maiestatem, & excelsum honoris fastigium iu-  
 re merito destinari.



# A N D R E A S

## DANDVLVS.

**I**NTER eos, qui Venetorum illustre nomen doctrinæ, virtutis, atque sublimis ingenij gloria latè protulerunt, præcipue enitet Andreas Dandulus singulare decus ætatis suæ, qui studiorum prospero cursu, ac feraci vigiliarum prouentu ad supremam, & admirandam multiplicis doctrinæ laudem egregiè conscendit. Etenim quæcunque dici, aut fingi possunt vel acerrimi iudicij, vel infinitæ memoriæ, vel eloquentis doctrinæ lumina, in hoc ipso Principe cuncta fuere, atque alia ampliùs. Hac enim excelsa facie, sed multò magis sublimi, & excelsò animo à Natura donatus, summum ingenium bonis, & liberalibus doctrinis diligenter expoliuit, atq; philosophia præcipue, & Iurisprudentia, quas non modò egregiè callere, sed etiam in omni vita præclarissimè exprimere voluit. Quibus abundè partis opibus, quas Fortuna neque dare, neque eripere cuiquam potest, primus Venetorum Doctoratus, vt aiunt, insignia summa cum gloria, atque dignitate recepit, ac in patriam reportauit; probabili quidem, & præclaro instituto siue rem ipsam inspicias, quæ si more maiorum, sine fucò, & fallacijs facta fuerit, vix maior gloria excogitari potest: siue

B etiam

etiam autorem spectes, dignus omnino, à quo posteritas tanti honoris initium, & exemplum peteret. Sed à literarum studijs ad Remp. se contulit, in quâ cum iustitia, & morum probitate supra omnes maxime inclitus, quales alij videri volunt, talis ipse esset, nunquam eius vestigia ad præclarum decus videntis fallere Fortuna ausa fuit. Quapropter iij. & xxx. annos natus ex D. Marci Procuratore ad summum illud Principatus fastigium, quo semper totis viribus contenderat, felicissimo cursu peruenit, atq; in tam excelsa dignitate, omniumq; amplissimo munere totum se se, quantus erat, explicuit. Neque satis illi fuit quotidie de repub. benemereri, sed quidquid temporis à civilibus negotijs, & Principis munere vacuum supererat, id omne in literarum studijs collocabat, actaque singulorum annorum literis mandabat, & referebat in album, ut eruditus, ac in perpetuum victuris monumentis omnem sibi posteritatem obligaret; cum singulari apud omnes fidei, & veritatis opinione historiam ita perscripsisset, ut attentiore cura, & prestantiore facundia nemo. Fuit eius domus doctorum virorum liberalis receptrix, ipse vero, quod in Principe summæ virtutis locum implet, supra quam dici possit, humanitate admirabilis, & Literatorum omnium studiosissimus. Sed confecto summa cum Reip. dignitate, atque gloria Iadertino bello, ingens tanti Principis spiritus, humano veluti carcere liberatus ad cælum euolauit. Cuius integritatem

tatem, innocentiam, virtutem Vincentius modò, & Ioannes fratres, alter excelsi Collegij Consiliarius, alter Decemuir ad viuum referunt, atque pernobilis, & amplissimæ familiæ dignitatem, & gloriam præclarissimè tuentur.



**N**on singulari modò eloquentia, & probitate, sed excelsi, & inuicti animi magnitudine, omnibusque belli, & pacis egregijs artibus Andreas Contarenus Venetorum Princeps ceteros omnes longè, multùmque superauit. Nam inter omnia, quæ Veneta Res. domi, militiaeque, mari, atque terra præclara facinora edidit, longè, latèque eminet sæuissimum bellum, consentientis famæ nomine celebratum, quod ipse iam senio confectus intrepido, atque constanti animo suscepit, incredibili, & admiranda virtute gessit, atque diuina propè felicitate tandem confecit. Hic ille Princeps extitit, cuius cum eximia probitas, sinceritas, & singularis in omni vita moderatio, supra virtutes, atque supremas omnes animi dotes iure suo ciuitatis principatùm sibi vindicarent, ipsique studiosissimi Ciues vtrò deferrent, vnus ipse abnuit, & contra quàm fieri vulgo ab omnibus solet, ne Dux optari posset, obnixè contendit. Quapropter in agrum Patavinum constituit secedere, quo se tanquam in portum reciperet non inertiæ, ac desidii, sed quietis, & tranquillitatis post tot labores susceptos. A Rep. verò gerenda auerterat animum, quòd à Diuino quodam intellexisset, si quando euaderet in patriæ principem, atque Ducem, tum demum extremum discrimen subituram Remp. Sed propinquorum precibus, magistratumque minis

inter-



interiectis, inuitus, merens, lugensq; principatum  
 suscepit: pauloque post, cum Respub. bello, & fame  
 premeretur, in domito prestantis animi vigore, cor-  
 pus annis infirmum, sed ingenium prudentia va-  
 lidum secum afferens, saeuiente hieme classe colle-  
 cta, Fossam Clodiã fatali suã gloriã destinata pe-  
 tijt, seq; ipsum pro patriã periculis obtulit, vt vitã  
 ab ipsa patriã mutuata, patriã, si opus esset, liben-  
 tissimè rederet. Instabant Panonum Regis copiã,  
 Carrariensis Princeps, Aquileiensis Patriarcha, Li-  
 gures in primis implacabiles Veneti nominis ho-  
 stes, quibus inuictissimè restitit, ac non modò eo-  
 rum impetum fortiter excepit, sed etiam fusos, fu-  
 gatosq; prælio profligauit. Clodia deniq; per acer-  
 rimam obsidionem recepta, pace vndique gloriõse  
 firmata, septuagenario maior in patriam reuersus,  
 speciosissimum de victis populis triumphum egit,  
 sex millibus septingentis, & quadraginta duobus  
 captiuis illustre, sed multò magis ipsa patriã ab in-  
 genti omnium rerum penuria liberata conspicuum:  
 vt duplicem triumphi speciem & deuicti hostes, &  
 seruati ciues præbuerint. Additus etiam triumpho  
 honos, vt statua pedestris cum elogio, quod illi con-  
 tigit, præterea nemini, in Comitio poneretur. Cæ-  
 terum virtute, atq; gloria celeberrimo Principi ge-  
 nerosẽ frõtis, & ingenui, verèq; nobilis oris species,  
 impigrum, atque peracre ingenium fuit, animus bel-  
 li ingens, domi modicus, libidinis, atque auaritiã  
 prius,

prius, quàm hostium victor. Nemo sapientia,  
 æquitate, ac virtute potior; qui ex bello pace parata,  
 sicut immortalem gloriam, & splendorem bellica  
 virtute, ita præcipuum amorem, & subiectorum ob-  
 seruantiam caritate, & clementia conciliauit. Caue  
 mortuum dicas, qui supra immortale nomen, & nun-  
 quam inter mortuorum familiæ gloriam, præclarum  
 exemplum vetustissimæ, atque nobilissimæ genti re-  
 liquit, in qua vel Federicum inspicias Procuratorem  
 literarum, & elegantis antiquitatis studiosissimum;  
 vel Nicolaum Consiliarium, Andream Decemvi-  
 rum, & fratres illustrissimos; vel Franciscum Equi-  
 tem, multis legationibus, Romana præsertim iterum  
 obita clarissimum, & excellentissimos fratres; vel  
 Thomam Reip. nomine ad Pont. Max. oratorem;  
 vel Thomam alterum Ioppes Comitem, atque Pa-  
 tauina præfectura speciosissimè functum; vel Ma-  
 rinum eloquentia, Nicolaum philosophia, Domi-  
 nicum humanioribus literis, eisdemq; fratres vir-  
 tutibus omnibus spectatissimos, vel denique quos-  
 uis alios tanti generis senatores, & proceres; pote-  
 ris facillè tanta virtute principem, atque diuinum pe-  
 nitus heroem, quasi ad viuum expressum intueri.

## FRANCISCVS DONATVS.

**F**rancisçi Donati Venetorum diuini Principis, summa virtute, atque rerum gestarum gloria incliti viuaces oculos, seueram frontem, ac venerandam canitiem hisce lineamentis, & coloribus ad viuum expressit Titianus verè perfectus, & immortalis Pictor. Hoc nemo ferè tantè reipub. Ducum pluris fuit eloquentia, consilio, virtute, ciuiliq̃ prudentia. Magistratus quamplurimos, ac Præfecturas gessit, iustitiæ vsque ad seueritatem tenax: Legationes obiit non minùs facundia, & industria, quàm fœlicitate insignes: Omnes honores, quibus egregij Senatores augeri possunt, faciliè obtinuit; cum esset inter optimum ciuem, atque gratissimam patriâ illustre quoddam, & præclarum beneficentiæ certamen institutum, quo nunquam ille vigilijs, laboribus, itineribus parceret, vt reipub. quocunq̃ posset, vsui foret, ac resp. contra incredibili Patrum consensione, & omnium ordinum plausu nihil omitteret, quod ad tanti viri amplitudinem, & dignitatem augendam spectare posset. Itaque in Senatorum numerum lectus, Decemuir, Magnus sapiens, Consiliarius, Procurator denique creatus singulari dicendi copia, & grauitate, ingenio, atque sapientia effecit, vt quæcunq̃ contenderet, optimo cuique faciliè probaret, atque difficillimis reip. temporibus quæcunq̃ probasset, ad pristinam salu-

tem

tem, ac dignitatem retinendam mirum in modum  
 conducere viderentur. Verùm honoribus amplissi-  
 mis, atque laboribus maximis perfunctus, qui Prin-  
 cipe loco semper dignus fuerat, in Petri Landi for-  
 tissimi, atque inuictissimi Principis locum suffectus,  
 tanto fuit Electorum studio ad Principatum elatus,  
 vt cum tres præterea magni nominis, & virtutis Se-  
 natores candidati cernerentur, prima tamen suffra-  
 gatione, ingenti omnium fauore prensantes alios  
 longè, multumque superaret. Quod quidem iure  
 optimo ipsi contingit. Nam Petri Landi comitijs,  
 cum bello atrocissimo Respub. præmeretur, ipseque  
 Dux constantissimè renuntiandus esset, dummodo  
 petitionem diutiùs protrahere, atque diem ex die  
 ducere vellet, veritus ne quid Resp. ob eam rem de-  
 trimenti caperet, innatam illam in excelsa animi  
 magnitudine cupiditatem Principatus, simulque  
 candidam rogam abiecit, atque adeo omni con-  
 tentione præclarissimè, & gloriosè abstinens, Lan-  
 do Electorum suffragia concessit, qui, tantæ virtu-  
 tis, ac meritorum studiosi, vltro principatum sibi  
 deferebant, immò verò ipse magno studio compe-  
 titoris sui suffragatorem egit. Quo factum est, vt  
 ciues vniuersi admirabundi, magis quòd tantum  
 honorem, & dignitatem paruifaciebat, quàm quòd  
 meruerat, eius virtutem amarent. Ita iam pridem  
 sibi debitum, & octennio ante delatum, sed Reip.  
 causa alteri concessum concordibus animis denuò  
 recipiens

recipiens principatum, singulari vitæ innocentia,  
 atque integritate, iustitiâque in primis exulta, an-  
 nonæ vbertate, & rerum omnium summa tranquil-  
 litate, octuagenario maior, celebrem, ac florentem  
 reliquit. Filio quoque clarissimi nominis, atque vir-  
 tutis relicto, cuius modò nepotes Andreas vir inno-  
 centissimus, & Dominicus Aloysij filius maximæ  
 spei iuuenis, maximeq; doctrinæ, & virtutis, familiæ  
 dignitatem, & gloriam præclarissime sustinent.



## LEONARDVS LAVRETANVS.

**N**Ullius vnquam diferti, prudentis, atque vere  
 diuini principis inuicta virtus, & egregium  
 in rempub. vniuersam studium, quam huius  
 Leonardi Lauretani clarius, atque testatius fuit;  
 Qui bello inuictus, pacis artibus nulli secundus per  
 omnes honorum gradus ad summam amplitudi-  
 nem, & Principatus apicem euectus, magnus, & ad-  
 mirabilis in omni genere, multiplici virtutis laude  
 fecit, vt quid primum, summumve in eo celebrare  
 debeas, profus ignores. Incidit immortalis Heros  
 in difficillimum illud reip. tempus, quo Cameraacen-  
 si fædere icto, cuncti ferè Europæ Principes iniusto,  
 ac impio conatu in rem Venetam conspirarunt: id-  
 que tam auspicio, vt breui cunctæ Reip. vrbes in  
 eorum ditionem concederent, nihilque ferè in con-  
 tinenti reliquum esset, vbi in suo pedem Venetus  
 poneret. At Princeps non solum ipse fortitudinem,  
 & constantiam retinuit, sed aliorum etiam iacentes  
 tantis cladibus animos non verbis modò, & elo-  
 quentia, sed ipsa re, atque inuicta virtute mirum in  
 modum erexit. Etenim excelsæ, atque generosa  
 mentis cum sæpè aliàs admirandum, ac memorabi-  
 le specimen dedit, tum verò præcipuè cum oblatos  
 filios, & proprias opes pro Patriæ salute, & dignitate  
 constanter, & gloriosissimè deuouit. Quo præcla-  
 ro exemplo reliqui ciues omnes excitati, collatis  
 opibus,


opibus, & liberis Patauium missis; tanta alacritate inimicorum copijs restiterunt, & bellum gesserunt, vt amissæ vrbes, & oppida ferè cuncta partim ui, atque astu, aliæ voluntate in fidem reciperentur: Patauioque obsidione liberato, pristina tantæ reip. & imperij maiestas restituta eò clariorem gloriam, & exiustimationem obtinuit, quò grauius, & acerbius, variaque victoria crudele bellum & gesserat, & profligarat. Lauretanus verò post tot egregia facinora, immortalis nomine, atque sui desiderio relicto, per omnes humanæ gloriæ gradus ad cœlestem peruenit: cum tanti nominis hæredem illustrissimam gentem reliquisset, ex qua præter Leonardos, Laurentios, Constantios; Franciscus etiam Petri Venetiarum Principis nepos; & Marcus Consiliarius clarissimi genere, factisque: & gloriæ maiorum suorum æmulator grauissimus Aloysius Marini filius, ita se gerunt, vt nulla vnquam obliuio obscuratura, nulla tantę gloriæ allatura finem æternitas videatur.



**N**icolaum quoque Marcellum iustissimum, & innocentissimum Venetorum Principem, & ingentibus animi virtutibus nemini inferiore, iniquum omnino fuerit inter egregios, atque præcellentes viros non recensere. Hoc adolescente nihil castius, aut diligentius, viro iustius, aut eloquentius, sene deniq; prudentius, atq; adeo sapientius admirari poterat vniuersa ciuitas, atque etiam venerari. Cum semper, crescente ætate, ipsæ quoque virtutes mirum in modum augerentur, & quasi noua fulgentissima sidera in proba, verèque diuina mentis acie gloriosè micarent. Præ se ferebat vbique Senator eximius doctrinam sine ostentatione, & probitatem sine fuco, cum incredibilia virtutum admirabili fama præclarus, vbi peregriniam in multis magni momenti negotijs domi, forisque operam præstitit, ad Reipub. gubernacula, & dignitates maximas ita fuit elatus, vt ampliore semper, quàm gereret, dignus omnium ciuium consensu, atque præclara suffragantium confessione haberetur. Viro tamen eximio, ad omnia summa feliciter nato, verèq; digno, qui principem locum obtineret, multò plus ex virtutibus, quàm ex magistratibus splendoris accedebat. Quo factum est, vt ex D. Marci Procuratore ad excelsum in tanta Rep. Principatus culmen prouheretur, merito prius, atq; virtute, quam



quàm dignitate Princeps: vbi verò cuncta iustitiæ temperamēta mirificè semper exercuit, Scodra iam obsidione liberata, atq; florentissimo Cypri regno in Reip. fidem, atq; ditionem recepto, cum patriæ cumulatissimè satisfecisset, naturæ quoq. haud grauatè tandem satisfecit, quippe aduersa fortuna ferè nunquam vsus, & ad septuagesimum ferè annum vita producta, magno quoque desiderio sui omnibus relicto. Huius virtutes cum laudare faciliùs possint omnes quàm æmulari, ego ne laudari quidem posse certò scio, cum acerrimi cuiusq; ingenij vires, & facundiam nimium quantum superent, & excedant. Hanc igitur præstantem imaginem, verèq; dignam, & nobilissimam oris speciem contemplantes, virtutes venerētur vniuersi, quibus supra laudes eminuit; cum tributa merito præconia, neque pro dignitate celebrare possimus, neq. ieiunè, ac frigidè pertractare vlla ratione debeamus. Quòd si quis ad viuum expressam tantì Principis effigiem intueri velit, quæ non solum oris imaginem, sed virtutes etiam, sapientiam, & eloquentiam mirum in modum referat, poterit faciliè in Bernardo nepote Laurentij filio maximæ spei iuvene, sed maioris virtutis, & eloquentiæ contemplari: Dum Ioannes etiam, & Bernardus Iacobi filius Senatores illustrissimi connituntur, vt genus amplissimum à maioribus acceptum, maius, auctiusque relinquant posteritati.


 I paulò attentius intendere mentis aciem, ac omnes annalium memorias reperere velimus, multos equidem, vel potius innumera-biles in Republ. Veneta prudentes, ac eruditos viros reperiemus, quorum sapientia, fide, ac virtute ad tantam amplitudinem, atque maiestatem, stupentibus, atque incassum frementibus invidis, & maleuolis, auspicatò, atque gloriosè admodum peruenit. Veruntamen quem Nicolao Ponte integerrimo, atque sanctissimo Principi anteferre possimus; neminem prorsus inuenire, immò verò ne fingere quidem, & excogitare fas est. Siquidem vir summus, atque ad omnes disciplinas equabiliter natus, vbi ingenium maximè capax, ac idoneum optimis quibusque literis expoliuit, cum à philosophia, tum à iure ciuili, & historia instructus, cæteros omnes magno acumine præcellentis ingenij, & varietate doctrinæ superauit, maximoque auditorum concursu, & incredibili nominis celebritate publicè philosophiam professus, ad amplissimas quasque dignitates, & excelsos honorum gradus viam sibi struxit, atque egregiè parauit. Is cum ad Rempub. se contulisset quàm magistratibus innocentissimè gerendis, quàm legationibus eloquentissimè obeundis sublimis animi vim, atque ciuilem prudentiam præ se tulit: & cum Tridentum

dentum ad sacrorum Patrum concilium oratores duo mittendi essent, qui tanto congressui interessent, & quæ de altissimis, & abditissimis Christianæ fidei mysterijs disputarentur intelligere, exactèque cognoscere valerent, Nicolaus Pontes præcipuè delectus fuit, qui tantam prouinciam susciperet, atque cum Reipubl. dignitate tractaret. Qua in legatione præclari studij, egregiæ pietatis, atque multiplicis doctrinæ laudem ab vniuersis cuiusuis generis, atque nationis gentibus iure, ac merito consecutus est, cum adhuc multa vel prouisa prudenter, vel constanter acta, vel acutè responsa ad ingentem posteritatis admirationem, & perpetuam, ac immortalem tãti viri gloriã ab omnibus referantur; Cumque vir eloquentissimorum doctissimus, atque doctissimorum eloquentissimus, sic in omni actione comitatem grauitate, terrore iucunditatem, ac salibus austeritatem condiret, vt nulla tam aspera, tamque difficilis, & morosa natura reperiri posset, quam ille non tractaret facillimè, atque arbitrato suo quo vellet cumque traheret; Hinc factum est, vt ad Pont. Max. orator missus, qui ex pace à Veneta Republ. cum immanissimo hoste facta non leuem animi offensionem cæperat, cum sanè causæ æquitate, sed etiam singulari virtute, ac eloquentia permouerit, atque nimis obfirmatum animum flexerit, vt quos paulo ante publicè ob pacem factam reprehenderat, eosdem publicè laudare, mutata sententia

tia cogeretur. Ingentibus denique meritis ad principatum elatus, postquam summa integritate, prudentia, iustitia Rempub. administravit, iusta, atque perenni gloria plenus, ac humanas laudes supergressus, ad cœlum migravit, summæ virtutis, atque sapientiæ vestigia relinquens, non pressa illa quidem leuiter, & ad exigui prædicationem temporis, sed ad memoriam omnium sempiternam constantissimè fixa: In quibus insistentes Antonius, Aloysius, & Nicolaus pronepotes, atque præcellentis doctrinæ, & innocentinæ hæredes, tantæ familiæ dignitatem, atque existimationem gloriosè tuentur.



**S** Alue non minùs belli, quàm pacis artibus in-  
 clite: Salu e singulari pietate, ac innocentia  
 præclarissime Princeps, qui excelsio ingenio,  
 sublimi virtute, atque moribus candidissimis ita  
 priuatus miles in Castris vixisti, vt multus vbique,  
 & valdè conspicuus non magis bellicæ fortitudinis,  
 quàm pernobilis continentia diuinum quoddam  
 exemplar iure, ac merito habereris: Mox verò iusti-  
 stitia in subditos, & obseruantia in temp. omnem  
 iuuenturem superare, temperantia, ac industria se-  
 nes omnes anteire, quoslibet aditu, congressione,  
 sermone dignos facere, literatos homines præcipuè  
 fouere, donec in administratione reip. florentissi-  
 mus breui temporis spatio in Senatorem euaderes  
 numeris omnibus absolutum, siue eloquentia spe-  
 ctetur, atque innocentia, siue fortitudo, ac integri-  
 tas, omnesque bellicæ virtutes. Admiratus fuit sæpè  
 numero Senatus orationes illustres non tam ex ore  
 isto fluentes, quàm ex intimo pectore promanantes:  
 Admiratum fuit Crete Regnum, dum ibi turbulen-  
 tissimo Reip. tempore præsideres, ingentem pru-  
 dentiam, æquitatem, virtutem, innocentiam, san-  
 ctitatem, atq; tibi iure merito statuum posuit: Admi-  
 rata denique fuit vniuersa resp. cum tanta oris, at-  
 que vultus maiestate comitatem eximiam, & erga  
 pauperes homines pietatem illustrem, & præclarif-  
 D      simum

sumum studium . Quo factum est , vt cum summo-  
rum virorum , & clarissimorum ciuium neminem ti-  
bi proponendum videret , Procuratorem primò D.  
Marci , deinde verò Principem summo studio crea-  
ret . Vt sicuti priuatam vitam tranquillissimè , & in-  
nocentissimè semper vixeras , iisdem artibus repub.  
felicissimè administrata , in cœlum euolares , solide ,  
atque verè christianæ virtutis exempla posteris om-  
nibus imitanda relinquens , atque non sine ingenti  
admiratione , summoque tui desiderio contem-  
planda .



**N**ituit in Petro Lando Venetorum Principe supra corporis, ac grauissimi oris dignitatem, singularis eloquentia, ac bellica vis indefessa. Is excelso, præstantique animo, cautus, ac prudens, cum magna semper, atque præclara spectaret, sic animum ad consilia, & corpus ad robur instituit, vt acri prudentia egregiæ fortitudini, atque audaciæ adiuncta, celeberrimus omnium, & inuictissimus haberetur. Quam verò de se opinionem ingenti virtute pepererat, semel, atque iterum Classis Imperator rebus feliciter gestis superauit, cum omniferè Apuliæ ora, oppidis, & ciuitatibus multis in reipub. ditionem receptis, multa in Neapolis obsidione, vt erat impigro, atque acri ingenio perficeret, quibus ingentem sibi existimationem compararet, atq; inter milites, & Imperatores omnes vnus emine re præcipuè videretur. Vir enim, qualem Cato militem optabat, non manu solùm, & prudentia, sed vocis etiam sono, & oris aspectu æquè terribilis hosti, ac suis venerandus, magnum in omni re iudicium, magnum æquitatis, rectique studium, dignam amplissima dignitate grauitatem præ se tulit. Ea tamen ratione, vt imperij vim comitate, atque lenitate temperaret, & hostes fortitudine, socios, atque milites consilio, & humanitate faciliè anteiret. Adhæc verò in Præturis administrandis, & Legationibus maxi-

mis obeundis summam vim animi, atq; ingenij semper adhibuit, maxima iuxta, atque minima felicissime pertractavit, nullumq; ampliori vel diligentia, vel labori locum reliquit, cum singulari eloquentia, iustitia, atq; pietate omnium animos alliceret, atq; mirifice conciliaret. Fuit ad principatum euectus, in quo, vrbe ab annonæ caritate liberata, atque pace parta, cum per omnem vitam integerrimè, sanctissimeque vixisset, sic interiit, vt in Antonio pronepote, atq; illustrissimis fratribus, tantum heroem æque spectabili facie, atque immortalivirtute referentibus, quadamrenus adhuc viuens, atque sibi ipse superstes non immeritò videri possit.





## PETRVS, ET IOANNES

Fratres Mocenici.

**M**Ac vna vel hoc ipso nomine felicissima tabu-  
 la Petrus, & Ioannes Mocenici germani fra-  
 tres, Venetorum incliti Principes referun-  
 tur: Qui decora facie, sed multò magis ingenio va-  
 lidi, & viribus pollentes, domi, forisq; longè cla-  
 rissimi, aequitate, probitate, iustitia singulari, ho-  
 nestæ gloriæ perquàm auidi, pecuniæ liberales, vbi  
 strenuos virtute, eloquentes facundia, innocentes  
 integritate superare, neque consilio, neque manu  
 priorem pati didicere, ad supremum illud Princi-  
 patus fastigium prouecti sunt, quo nemo perueni-  
 re potest, nisi inter eximios Senatores ad gloriam  
 anhelantes vel pacis artibus omnium confessione  
 præcellat, vel inter egregios imperatores concedat  
 omnino nemini. Hic ille Petrus fuit, qui difficil-  
 limo Reip. tempore domi, militiaq; illustris, maris  
 imperio præfectus non ingenij magis, quàm virium  
 opibus gloriam quæsiuit, cum oratoris eloquentis-  
 simi, & inuicti Imperatoris personam lingua pari-  
 ter, atque manu promptus, pari Marte, atque fortu-  
 na mirabiliter sustineret. Asiam à faucibus Helle-  
 ponti ad Syriam vsq; ingenti edita strage, incen-  
 dijs, & rapinis, stratis hostibus passim, incredibili  
 virtute, atq; celeritate vastauit: Ciliciæ Reges Ve-  
 netæ Reip. socios, ab immani hoste regno exutos

in

in solium gloriose restituit : opulentissimum Cypri  
 regnum à crudeli perditorum hominum coniura-  
 tione vindicauit, Catherinæq; Reginae, atq; Reip.  
 seruauit : Scodram ab obsidione liberauit : Pyratas  
 infestissimos sic toto mari eiecit, vt vel vnum fru-  
 stra quaesieris. Quo factum est, vt vix tot cum ver-  
 bis laudare possis, quot illum oppida, vel manu cap-  
 ta, vel igne vastata, quot hostium Triremes vel cap-  
 tæ, vel depressæ extollunt : ita quidquid gloriæ ani-  
 mo, lingua, manu acquiri potest, sua virtute miri-  
 ficè sibi peperit. Ioannes autem cum pacis, togæq;  
 artibus feliciter maiorum, atque fratris gloriam  
 adæquasset, ne dignitate quidem, Vendrameno  
 Principi suffectus, inferior fuit. Sic admirabili  
 cōcentu virtutes in se omnes temperauit, vt ciuium  
 animos mirabiliter caperet, atque in se conuerter-  
 ret; tantisq; eminuit virtutibus, vt summū virum  
 quo potius nomine cōmendare debeas non facile  
 statuas. Etenim audacia in bello, atque virtute, vbi  
 pax euenit, æquitate temp. temperans, æquabili  
 apud omnes, & inuiolata fama, Rodigij peninsula  
 Veneto imperio adiecta, atque post gratie, & atrox  
 bellum pace honestissimè parata, decessit, incompa-  
 rabile, atque verè summum amplissimæ laudis de-  
 cus adeptus. Saluete, Ingentes animæ, præclaris-  
 sima tantæ Reip. ornamenta, atque pernobilis fa-  
 miliae splendidissima lumina, qui auitum decus, at-  
 que honestissimæ gentis dignitatem sustinuistis, &

omni-

omnibus numeris absolutam ad posteros transmissistis : Læti modò, atque exultantes inspicite tanta vestri generis sydera Ioannes, Antonios, Lazaros, sed Leonardum præcipuè Decemvium, cuius virtutes admirari possunt vniuersi, referre nemo, & Ioannem D. Marci Procuratorem, cuius vita omnis plena honorum sæpè gestorum, sæpius meritorum verendum penè ipsùm magis, quàm honorem facit, & maius aliquid mereri præclarissimè videtur.



32  
SEBASTIANVS

VENERIVS.

**H**Acminaci, verèq; militari fronte, ferocibus oculis, & roseo vultu insignis, purpureo paludamento, atque thorace fulgenti confictus, nō minùs inuicti ducis, quàm strenui militis: munera exactissimè obiuit. Sebastianus Venerius in nauali prælio aduersus Turcas, cum Rom. Pontificis, magniq; Hispaniarum Regis sociatis armis, sed vna præsertim Venetæ classis virtute eximia ad Echenades Insulas parta victoria mortalium omnium oculos, atque admirationem in se conuertit. Huius primùm illustrem facundiam Forum, & Curia admirabantur, cum vel inter celeberrimos patronos, & Senatores eloquentissimos emereret, seueram deinde virtutem, atque inuictum animi robur non egregiæ modò Venetæ Triremes, sed Christianorum Principum tota Classis suspexit; cum difficillimo Reip. tempore in maximo clarissimorum hominum prouentu excelsum gradum obtinuit, vnusq; præcæteris dignus fuit, in cuius fide, ac prudentia nō poneretur modò victoriæ spes, sed etiam publici decoris, atque salutis. Ita dum quantus fuerit orator ipsa rōstra, quātus imperator vniuersa maria conuulsis rōstris grauata clamant, æquata felicitatē utroq; nomine maiorum gloria, Venerium nomen

men immortalitati omnium fortissimus, & inuictissimus consecrauit. Sed in patriam reuersus inter cæteras nauticas exuias, & hostium victorum spolia, vulnus etiam retulit, perpetuum virtutis monumentum, quo honestissimè claudicaret, neque gradum facere posset, nisi identidem suæ gloriæ reminisceretur, atque testaretur abundè virtutem, bellicam laudem vel planè inuitus ostentans; tanto autè ciuium plausu, & omnium ordinum frequentia fuit exceptus, vt non Senator eximius, sed diuinum potiùs aliquod Numen ad libertatem, & existimationem Veneti, atque adeo Christiani nominis tuendam è cælo missum videretur. Mox grata patria optimè de se meritum ciuem ad principatum euexit, cum ex innumero amplissimorum ciuium numero concederet vnusquisque virtuti, cui vel ipsa inuidia concesserat, nemoque spectaretur candidatus, qui prensare, nomenque suum profiteri coram auderet. Itaque cunctis Patrum suffragijs Dux renunciatus est, vt cum ioci causa à suffragatoribus interrogaretur, an veller priuatus prandere, vel princeps, sapienter responderet, priuatos minori cura prandere solitos. Principatum verò vbi per menses ix. iustissimè, & sanctissimè tenuit, ciuitate graui pestilentia liberata, Templo, quod Senatus piè vouerat, Redemptori Christo consecrato, lucis vsuram amisit, aut potiùs ad sempiternam memoriam propagauit. Vt illicet, quem-

E admo-

admodum à gratissima Republic. servata patriæ lauream, principatumq; habuerat, ita protecta religionis, ac fidei sincerum ab ipso Deo præmium, atque sempiternam gloriam reportaret.

# Decadis primæ Finis.



35  
NICOLAI CRASSI  
I V N I O R I S

In secundam Elogiorum Decadem

P R A E F A T I O

AD NICOLAVM CONTARENVM  
*Venetum Senatorem.*




Vspicatio in cherele, atque singulari tuo merito, Nicolae Senator amplissime, hanc Elogiorum Decadem, immortalis tui nominis aeternitati consecratam, literis, atque monumentis consignare decreuimus.

Si quidem eorum virorum imagines continet, qui praclaris operibus in lucem editis, insigne specimen sapientiae nobis reliquerunt, atque illustre, & perecelebre nomen solida virtute sibi compararunt. Ecquis verò occurrere poterat, cui felicius, atque etiam aptius commendaretur, quam tibi? Qui, ut de reliquis tuis dignitatibus fileam, primò Triumvir Aduocator, mox ad regendum Forum Iulium cum Imperio Legatus, tum iterum, & saepius Decemvir, deinde maximus Sapiens, Consiliarius deniq; creatus, eam pra te tulisti integritatem, iustitiam, pietatem, praecipue verò publicae di-

E 2 guita-

gnitatis, atque libertatis tuenda studium, vt omnes  
 honores, ac dignitates, infra tantam ingentium me-  
 ritorum magnitudinem videantur: Qui literis, atq;  
 virtutibus omnibus vsque ad admirationem excul-  
 tus iuuenis adhuc sempiterna diuini ingenij, & plu-  
 rimarum vigiliarum monumenta ad præclarissimi  
 nominis immortalitatem vulgasti, quæ cum cæteris  
 omnibus cumulatifsimè satisfaciant, incredibili tuæ  
 sapientiæ non satisfaciunt, maiora in firmiore æta-  
 te, immò verò omnium maxima vulgaturus. Qui de-  
 niq; ita soles doctrinam, & reliqua diuina ornamen-  
 ta singulari beneficentia cumulare, vt Literatorum  
 hominum eximius, si quisquã alius, literatus Mecæ-  
 nas, Literatorum etiam elogia iure quodam tuo vin-  
 dicare tibi videaris. Accipies igitur hilari fronte  
 sempiternum hoc testimonium obseruantia, qua te  
 semper colui, atq; adeo veneratus sum, quod multis  
 nominibus tuæ gloriæ debitum, vel eo maxime ne-  
 gari minimè oportuit, quòd tuam egregiam ampli-  
 tudinem, atque gloriam si non omnibus numeris,  
 atque absolutè, aliqua saltem ex parte referre pote-  
 rit; si quæ celebratis viris singula tributa sunt, in te  
 vnum conferantur vniuersa, atque plenissimè con-  
 gerantur. Vale.



 Miseram rerum humanarum conditionem! Tunc, Quirine, extinctus decumbis, sensuq; omni cares, qui tam egregijs, & acribus sensibus fuisti, perpetuoq; pro salute Reip. vigilasti? Tunc ne iaces, qui iacentes animos errigere solebas? Tunc files, qui numquam de rebus ijs, quæ Reip. vsui forent tacuisti? Quis enim posset illustre hoc, & supra mortale decus admirabile simulacrum intueri; qui tanti Senatoris interitum non deploret? His illum micantibus oculis, formę dignitate, atq; excelsa statura venerati fuimus, ab excellenti memoria, expeditaque facundia cum singulari doctrina, & rerum vsu admirandum, postquam maiorum virtutes emulatus, vindicem se se præbuit, atque assertorem præcipuum perpetuæ Venetorum libertatis, iraq; suam efficacis prudentiæ, exactiq; iudicij operâ vniuersis ordinibus probauit, vt sempiternam nomini suo famam pepererit, omniumq; oculos, & admirationem in se conuerterit, cum passim audiret illud vulgò iactari, doctiorem, meliorem, prudentiorem esse neminem. Hic per omnes honorum gradus ad maximas, & amplissimas quasque dignitates elatus, non modò Senatorij ordinis adeptus est ornamenta, sed etiam Comitijs, ac Senatui non semel præfectus est, vel Sapientis maximi, vel Consiliarij titulo honestissimo decoratus. Diù tamen sapientior, quàm fortu-

fortunatior visus est, cum ambitione posthabi-  
 ta, omninoque abdicata, Sapientis, quem vocant,  
 ordinum dignitate perfunctus, integrum decennium  
 nihil sibi amplius petendum statuerit, sed intra do-  
 mesticos parietes prouincias omnes, maria, insulas,  
 montes, flumina in tabella descripta summa cum di-  
 ligentia oculis subiecerit, attentoque animo, & cogi-  
 tatione ita perlustrauerit, ac si vniuersa pedibus co-  
 ram obijisset: Omnes cum superioris aui, tum no-  
 strorum temporum historicos, atque sinceros rerum  
 pronunciatos, omnes antiquos Poetas legendo  
 contriuerit. Quo factum est, ut omnia illorum egre-  
 gia placita semper in ore, sed magis in animo habe-  
 ret: quæ verò aut superioribus temporibus, aut no-  
 stra ætate accidissent, quid Principes singuli in do-  
 mesticis, bellicisque rebus, vel ad publicam digni-  
 tatem retinendam, vel ad imperij fines propagan-  
 dos vnquam molirentur, accuratè peruestigaret,  
 exactèque cognosceret. Hac supellestille sibi com-  
 parata, cum iterum ad Rempub. accessisset, eam præ  
 se tulit ingenij, atque prudentiæ vim, ut nihil fieret  
 alicuius momenti, atque ponderis, cuius ipse non  
 existeret monitor, atque auctor, nihil autem mone-  
 ret, atque suaderet, quin optimum, & æquissimum  
 censeretur, optimèque caderet. Ad hæc verò exi-  
 miam, atque singularem earum rerum cognitionem  
 habuit, quæ vel ad ipsam naturam cognoscendam,  
 vel ad mores, & Resp. moderandas, vel ad sanctissi-

ma Christianę religionis mysteria inuestiganda spectant. Summum autem non tantum in literas, sed in Remp. quoq; singulare studium, incredibilemq; eruditionem, & mirabilem eloquentiam æternis literarum monumentis testatam apud omnes reliquit. Sed qui, cum turbulentissima tempestas illa superioribus annis immineret Italię, immo verò vniuerso terrarum orbi, vnà cum cæteris Reip. columinibus prudentissimè gubernacula tractauit, & vigilanter admodum clauum tenuit, eum cõmutatam iam tempestate, sedatisq; procellis omnibus, atque turbibus, ad se reuocare Deo maximo visum est, vt scilicet, quæ magna tantæ virtuti deberentur præmia in ipsa beatorum arce quàm citissimè reportaret. Obijt L I V. annum agens, & cum vniuersa Resp. tanto funeri lacrymis, atque dolore iusta persolueret, nos etiam singulari patrono bene merenti oratione funebri parentauimus, idem erga tantam familiam, affinesque, & nepotes studium, eandem obseruantiam constantissimè retinentes.



## AVGVSTINVS VALERIVS.

**V**id poterat Augustino Valerio singulari doctrinarum copia, & incorrupta probitatis disciplina mirificè exulto, aut honestius contingere, aut etiam fortunatiùs, quàm ex omnibus patrij sanguinis viris illustribus, & à Veneto Senatu pro Reip. iure Romano Pontifici commendari, & vnum ab ipso probari, qui Veronæ amplissimæ ciuitati episcopi titulo præfret? Si quidem hac electione à publico gymnasio, vbi philosophiam profitebatur, ad excellentum episcopatus fastigium repente euocatus, totum ad religionem, atque sacras literas excolendas se contulit: qua expedita, atq; compendiarie via non ad gloriam magis, quàm ad cælum ipsum videnti, cum sine fastu maiestatem, sine abiectione comitatem, & sine fuce veram, solidamq; pietatem præferret; atq; adeo multis eruditæ lucubrationibus editis non modò doctrinâ, & eloquentiâ, sed etiâ christianam religionem, atq; morum probitatem ostenderet, fuit illi à Pont. Max. purpurei galeri dignitas oblata, cum plùs ille tanta virtute eximiæ dignitati decoris adiecturus, quàm à sacra purpura existimationis, atque splendoris laturus videretur. Cæterùm his præsidij ornatus, & ornamentis instructus, cum & ad lustrandas prouincias Apostolici Legati munere egregiè perfunctus, & splendore, atq; gloria, sed multò magis non dubia sanctitatis opinione venerabilis,

bilis, in ea tempora incidisset, quibus inter Pont.  
 Max. & Venetam Remp. à perditis, & consceleratis  
 hominibus excitatæ offensiones in dies exoriti, atq;  
 increbrescere videbantur, nullum ipse prætermisit  
 officium, quo principes maximos, optimèq; de se  
 merentes aliqua saltem ex parte inter se concilia-  
 ret. Verùm, cum animaduerneret plus inuidorum  
 obrectationes, atque maleuolentiam autoritatis ha-  
 bere, quàm vel egregiæ pietatis persuasiones, vel ip-  
 sas etiam æquissimæ causæ conditiones; senio magis,  
 atque dolore, quàm morbi vi oppressus, diuinam il-  
 lam animam, omnibus temperantiæ, & religionis  
 virtutibus cumulatam, cælo piè reddidit: vt scilicet,  
 quod impetrare ab hominibus incassum diù, mul-  
 tumq; tentasset, ab ipso bonorum omnium, pacis  
 præcipuè largitore Deo præsentibus precibus obti-  
 neret: Quod quidem ei contigit: Nam, sedatis pau-  
 lò post contentionibus, quos ipse dissidentes mo-  
 riens reliquerat, eos mütua beneuolentia coniun-  
 ctos ex ipsa Diuorum arce immortalis prospexit.




## BERNARDVS IVSTINIANVS.

**S** Vspicite vniuersi, atque sanctissimè veneramini hoc ipsum non magis Bernardi Iustiniani Senatoris amplissimi, quàm Eloquentiæ ipsius, atque virtutis illustre simulacrum, quod maxime pio, gratoque animo, & incomparabili merito inter Veneti nominis egregia lumina spectandum proponitur. Hac ille promissa cæsarie, & generosæ frontis decore venerandus, seculorum omnium memoria dignissimus heros summum æternæ gloriæ decus comparauit, cum ceteros omnes splendore, atque dignitate æquales, non modò corporis proceritate, & oris grauissimi maiestate vinceret, sed etiã commendatione virtutis, atq; doctrinæ longè, multumque superaret. Etenim hic ille fuit, qui græcis, latinisque literis vsque ad miraculum instructus, magistratibus, & legationibus ferè cunctis domi, forisque præclarissimè perfunctus, cum & Remp. & Musas impensè coleret, vtriusque rei gratiã eximijs honoribus excultus, elegantissima denique historia conscripta, latini sermonis puritate, graui cum primis, atque facundo stilo, rerum denique scriptarum fide planè admirabili, ita cætera erga Venetam, atq; adeo literatam Remp. egregia merita cumulauit, vt inde non sibi modò, atque posteris, sed ipsi quoque patriæ, immò verò Italiæ, & Europæ æternam gloriã compararet. Cæterum Senatorem amplissimum, cuius

ius.

ius illustris. fama nullis seculis confenescet, stupenda virtute, atque diuina prudentia supra mortales omnes eminentem vsque adeo Senatus suspexit, vt cum Diui Marci Procurator creatus esset, atque sedomi ob affectam ætatem contineret, nihil tamen magni ponderis, atque momenti decerneretur, nisi ad eum honoris, atque adeo publicæ vtilitatis ergo Senatores mitterentur, qui sententiam perquirererent, & ad Senatum referrent. Sic vndique foelicissimus senex lucis vsuram amisit, ipsumq; reuisit cælum quasi postliminij iure, vnde in hanc urbem venerat; post mortem etiam planè beatus, cum tantis laudibus fuerit promeritus, vt Pauli Iouij luculentissimi scriptoris diuino præconio celebraretur, dicata in per-nobili musæo inter sapientes viros effigie, atq; elogio perscripto: cumque præter ceteros tanti generis amplissimos Senatores in Georgio Equite legationibus maximis honestissimè perfuncto, & Laurentio Senatore illustrissimo renasci quodammodo gloriosè, & reuiuiscere videatur.




 Vis autem iucundæ, atque sempiternæ Federici Valareffi memoriæ inter gloriosa nomina locum non daret? Quis hominem ad omne literarum genus benè, fæliciterque natum, sine maxima ingrati animi nota præterire posset? Is græcæ, latinæque linguæ copiam, & exquisitam philosophiæ cognitionem adeptus, cum ingenium peracere, & solidam eruditionem cum eximia vbertate dicendi coniunxisset, literarum, & Sapientiæ studijs supra quàm dici possit, inclaruit, plurimumque non minùs inter literatos viros, quàm inter Senatores prudentissimos autoritatis obtinuit: iustitiam verò, ac pietatem firmissima perpetuæ commendationis, & famæ fundamenta in muneribus omnibus, atque magistratibus mirificè, & sanctissimè coluit. Cæterùm in Senatum lectus, honoribusque amplissimis egregiè perfunctus, cum in suscepta studiorum cura, perpetuoque literarum amore usque ad vltimos dies constantissimè permanisset, græcos, atque latinos scriptores quamplurimos diù, multisque lucubrationibus accuratè interpretatus, quibusdam etiam commentationibus editis, amplissimam familiæ dignitatem, atque percelebre nomen, quod à maiorib. veluti per manus acceperat, diuinis laudibus, & immortalis gloria cumulatim posteritati reliquit. Vt etiam in M. Antonio  
eiusdem



eiusdem familiae iustissimo Senatore, omnibusque  
 pietatis, & prudentiae numeris absoluto, Aloysio-  
 que, & Paulo Antonio Zaccariae filijs expectatio-  
 nis maximae, & virtutis incredibilis iuuenibus tan-  
 ti Senatoris effigiem reuereri, & virtutes non minus  
 admirari, quam religiosè colere possimus.



FRANCISCVS BAROTIVS.

**N** tibi claram, atque pernobilem Francisci Barotij effigiem, quam nemo posset nisi literarum acerrimus hostis sine piaculo præterire. Etenim hic ille fuit, qui cum ingenium sublime, infinitam memoriam, atq; iudicium peracred ad perdiscendum afferret, tantos fecit in quacumque doctrina progressus, vt omnem Literatorum illustrium antiquitatem non prouocare modò posset, sed longo etiam interuallo superare: Si quidem maiores nemo latinæ, græcæque linguæ facultates accumulauit; Nemo philosophorum placita, iurisperitorum responsa, aut meliùs intellexit, aut subtiliùs pertractauit; Nemo deniq; mathematicas scientias familiaris habuit, & examinauit, quarum vsu, atq; peritia illustris, antiquorum omnium splendorem, & gloriam certissimis, atque planè mirabilibus inuentis obscurauit. Multa quidem eximia tantæ eruditionis monumenta in vulgus edidit, multa edenda reliquit, dum nos eum adolescentes admirati fuimus, cum in suis delitijs, atque amoribus, hoc est in literis omnibus libero homine dignis, vltimos affectæ iam ætatis dies gloriosè consumeret: Non minimam quoque dignitatis, & splendoris accessionem sibi fecit, vbi à reconditis Naturæ arcanis perscrutandis ad intima Theologiæ sacraria repente penetrauit, atque sacras literas, & antiquos patres

patres omnes, Christianæ religionis autores præcipuos non modò legendo contriuit, sed etiam manuscriptorum collatione, & præclaris inuentis mirificè illustrauit. Obijt planè senex cum admirandam bibliothecam, portentosa specula, aliaque innumera mathematicæ disciplinæ instrumenta, & inaudita opera Iacobo Barotio nepoti legasset, viro clarissimo Oratorum omnium, atque literatorum Coripheo, què vel ipsi Demostheni anteferre possis, exequare certè, & parem facere vel inuitus omnino cogare.



## FRANCISCVS DIEDVS.

**R**Eferatur etiam iurè suo in hoc album spectata  
Francisci Diedi, atq; singularis imago, cuius  
fama in excelso, & illustri loco posita veneratione,  
potius, quàm commendationem aliquam requirit:  
Cum is maximo virtutum, atque doctrinarum om-  
nium splendore sit veriùs Elogio nostro lumen alla-  
turus, quàm iade laturus. Quid enim opus eum ce-  
lebrare, quem Philosophiæ, & Iurisprudentiæ lau-  
rea insignitum excelsa quidem, ac generosa ima-  
go, sed multò magis eruditissimæ lucubrationes, &  
facundissimæ orationes in lucem editæ satis superq;  
commendant, atque æternæ consecrant immortali-  
tati? Vnum hoc silentio præterire non possum per  
celebrem, atque diuinum heroem publicè philoso-  
phia profitenda, priuatim integritate, prudentia, re-  
ligione, quibus animum instruxerat, veram illam  
gloriam veluti pretio sibi comparasse, quæ ex vera,  
solidaq; virtute, atque doctrina tantummodo profi-  
ciscitur. Quid plura? Si vultus, ac oris lineamenta  
quæris, en tibi simulacrum. Si habitum animi nosce  
cupis, poteris faciliè ex ijs, quæ posteritati, literisq;  
commendauit inspicere, atq; admirari. Dum Hiero-  
nymo amplissimo ex hac familia Senatori scientias  
vniuersas vel vulgò ignotas egregiè callenti, & vir-  
tutibus omnibus planè admirabili, cæterisq; tantæ  
gentis procerib. supremos honorum gradus æquif-  
sima Resp. tribuit.

**H**oc ipso pernobilis oris ductu, & veneranda canitie, rubentique, admodum vultu conspicua Io. Baptistæ Bernardi imago non sine maxima veneratione contemplanda exhibetur. Si quidem Hic vtriusque Academiæ sacris initiatus; omnibusque rebus præcellentissimus, cum quoscunque motus animi teneret in potestate, aliorumque animos admirabili facundia quo vellet cumque traheret, ex Triuuiro Aduocatore, ad supremas Reip. dignitates facile peruenit, vt Sapiens maximus creatus, Pataviū denique Prætor mitteretur. Vbi præclarū singularis prudentiæ specimen dedit, cum temperatā iustitia æquitate præ se ferens, effrenatas iuuenum cupiditates modò leniter castigaret, modò, veluti ad tēpus deposita clementia, seuerissimè coerceret. Quibus artibus adeo ceperant amare simul, ac time re vniuersi, vt in eius nomine integritatem ipsam, atque iustitiam habitare prædicarent. Voluit scilicet Senator egregius, & dignitatis splendori par gravitate vitæ potius cauere, quàm vindicare facinora, & ipso seueritatis aspectu vitia fugare. Publici Gymnasij Frontem ornauit egregiè, illique suo tam celebri nomine inscripto gloriam potius tribuit, quàm sibi quæsiuit. Etenim satis superque sibi gloriosum, & immortale nomen comparauerat, Rhetoricę thesauro, atque Philosophiæ seminario in lucem edito.

G      Qui-

Quibus immensi operis, atque infiniti laboris operibus quæcunque Plato, Aristoteles, & vtriusque sectæ Philosophi scripserint, atque adeo Rhetores, & Oratores egregij literis mandauerint, suis quæque locis continentur, concinnè tributa. Decessit Patavij Prætor, ut vnde gloriose actæ vitæ caperat initium, dum liberalibus studijs adolescens operam navaret, ibi magno sui desiderio relicto, gloriose naturæ concederet. Utque viro amplissimo, & de philosophia, atque literis omnibus optimè merito, ipse literæ, ipsaque gymnasia parentarent, quas inter cæteras opes patrimonij titulo, non illustri modò filio Io. Aloysio in Senatum lecto, sed etiam Nepoti Bernardo, cui libros inscripserat, legavit.



**I**Oannes etiam Basadonna inter ampliffimos Venetæ Reipub. Senatores præclarus, inter probos, atq; innocentes homines eximius, inter illustres, atque etiam rerum sacrarũ Scriptores gloriosus, pluribus nominibus non modò petere, sed etiam exigere iure quodam suo videtur, vt tantã oris excelsi, atque habitus dignitatem, atque adeo tam celebre nomen inter scriptores egregios referatur: Quamquam hac in re nullius eger opera, cum se ipse eximijs operibus editis in eorum numerum vel nullo referente alio retulerit. Is in Rep. singulari eruditæ facundiæ laude, atque iustis, integris, & religiosis moribus planè admirabilis supremos honorum gradus facile assecutus, eas quoque facultates sibi comparavit, quæ nec vllis Fortunæ casibus amitti, nec vlla temporum iniuria aboleri vnquam poterunt: cum scilicet Doctoris titulo insignitus, eruditi scriptoris, atque facundi oratoris quæsitum, & abundè patrum splendorem civis optimi, optimèque de patria meriti gloria egregiè cumularret, atque Legationibus, & magistratibus plurimis egregiè perfunctus, equestri etiam dignitate iure merito donaretur. Pluribus ad sapientiam diuinam spectantibus libris vulgatis ostendit, nunquam se patriæ studium ab ipsis literarum studijs separasse, sed Reipub. gerendæ simul, & liberalibus disciplinis

deditum fuisse, atque ita summam utroque nomine  
 existimationem ab omnibus retulit; quam etiam  
 Romæ, dum ad summum Pontificem Legatus de re-  
 bus grauiſſimis ageret, eodemque tempore ingens,  
 atque operosum volumen commentaretur, illustri  
 morte, atque percelebri consignauit. Tantum verò  
 sapientiæ, atque virtutis lumen, sicuti nomine, atque  
 vultus, & staturæ dignitate vnus eximiè refert Ioan-  
 nes Basadonna nepos, ita quibus ille artibus supra  
 quàm dici possit inclaruit, doctrina, atque eloquen-  
 tia, ijsdem ipsis longè, multumque antecellit, dum  
 singulari iudicio, memoria, ac prudentia præcellens,  
 atque virtutibus omnibus inter omnes conspicuus,  
 ad maximos quosque honorum gradus felicissimo  
 cursu prouchitur.






**S** Alue, diuine Musarum Antistes, totiusq; po-  
 litioris humanitatis suspiciende pater. Salue  
 præcipuum Venetæ gentis lumen, sacriq;ue  
 Romani Senatus eximium decus, immò verò non  
 vtriusq; Reip. magis, quàm vniuersi terrarum orbis ra-  
 diatissimū sydus. Tu enim cum infinita lectione, va-  
 staq; memoria sic diuinę mentis acumē, illustremq;  
 facundiam coniunxisti, vt eximio nō modò ad nu-  
 meris astrictam, sed etiam ad solutam orationem in-  
 genio à natura donatus, æquales faciliè omnes vtraq;  
 laude superares, atq; adeo ad excelsum summæ glo-  
 riæ fastigium præclaro literatorum omnium con-  
 sensu prouehere. Tu primus Italicam linguam nō  
 scriptis modò elegantissimis carminibus, atque dia-  
 logis locupletasti, sed methodo etiam, atque præce-  
 ptis illustratam, ad posteros transmisti: Vt vel ipsa  
 Etruria non aliunde eius linguę, quam propriam ia-  
 ctaret, leges, & rudimenta, quàm à Ven. patritio ac-  
 ceperit. Ad ingentem verò tui nominis admiratio-  
 nem cunctos homines traduxisti, celeberrimis illis  
 de Amore vulgatis libris, quos vel ipsum amaret  
 odium, laudaret Inuidia. Sed Ecquis posset pru-  
 dentem, atque facundam Historiam ad diuinæ  
 Reip. immortalitatem literis consignatam, ipso præ-  
 fertim latini sermonis candore admirabilem, aut te-  
 nerrimos lusus, carminaq;ue varijs modis, atq; nu-  
 meris

meris condita pro dignitate celebrare? Stupeant,  
 itaque Italici nominis hostes, atq; in misera scripto-  
 rû innumerabiliû vastatione, sacrosancta ingenij tui  
 monumenta nimium acri iudicio, atq; profanis ma-  
 nibus ne temerè violent. Sed eo magis, Bembe, ad-  
 mirentur præclarissimum lumen, diuinamque tuæ  
 gloriæ claritatem, quòd tantum cum ingenui, atque  
 immortalis oris decus, & habitum, tum etiam sacræ  
 purpuræ fulgorem in hoc iplo tantis dõribus debi-  
 to, meritoque elogio videant prætermissa: cum sci-  
 licet sublimis animus tanto virtutum, atque doctri-  
 narum solè præfulgens, purpureæ dignitatis auro-  
 ram, minutaque ista Naturæ sydera clarissima luce  
 obscurare, atque offundere penitus videretur.




 Vis verò Pauli Parutæ æque literati viri, ac prudentissimi ciuis beatos manes gloriosa recordatione non prosequatur? Is cum prima adolescentia egregiam Patritiorum Iuuenum academiam ad illustrem æmulationem domi suæ instituisset, tantam sibi peperit existimationem, vt cum primū per ætatem licuit, Ordinum, quæ dicunt, Sapiens non sine ingenti Senatus vniuersi plausu crearetur. Quāquā autem concitata expectationi cumulatissimè satisfecit, nihilominus in petendis postea magistratibus ita repulsam tulit, ut ad xl. vsq; ætatis annum, maximo vel ipsius fortunæ rubore, priuatus, sibi que potius ipsi, quā Reip. viueret. Sed vicit denique virtus, ostenditq; posse prudentē virum sine præsidio fortunæ, quo contendat labore, atq; perseverantia peruenire. Etenim adeo breui tēporis spatio qualq; vel maximas dignitates est affecutus, vt nō illi præteritis annis negatē, sed potius ad excelsam virtutem exornandam dilata, atque in vnum congesta viderentur. Continētis Sapiens creatus, in Senatorū numerū lectus, finibus terminandis Cadubrij Legatus, Brixia Præfectus renuntiatus, ad Pont. Max. orator missus, ita omnes optimi ciuis, iusti iudicis, facundi, atq; prudentis viri numeros impleuit, vt annos vj. & L. natus ferè cunctis suffragijs D. Marci Procurator fieret. Qua dignitate conspicuus multas iterum legationes extra ordinē obiuit, fuitq; promeritus, vt E-questri

queſtri dignitate à Pont. Max. augetur. Vir tamen  
 antiquitatis, atq; ſcriptorū omnium literatè peritus,  
 nunquam dulciſſima intermiſit literarum ſtudia: ſed  
 cum Decemviri tanto viro non minori probitatis,  
 quàm eruditionis fama claro, Venetam Hiſtoriam  
 perſcribendam mandaſſent, impoſito ſibi munere,  
 tanta facundia, rerumq; geſtarum fide perfunctus  
 eſt, vt longè omnium qui Italico ſermone ſcripſe-  
 rūt, aut locuti ſunt non modò copia, & vbertate di-  
 cèdi princeps exiſtat, ſed etià ciuili prudentia, egre-  
 giaq. hiſtoriæ veritate cōcedat omnino nemini. Eos  
 autè politicos tractatus edidit, vt rerū vſum egregiū  
 cū ſingulari doctrina cōiunxiſſe facillimè intelligas,  
 illuſtremq; admireris ſcriptorē, qui cuiuſuiſ alius vel  
 æquauerit gloriā, vel antecceſſerit. Plura quoq. ſingu-  
 laris ingenij, & plurimarū vigiliarū monumenta edē-  
 da reliquit, inter quæ eminent præcipuè quatuor pri-  
 mi Venetæ Hiſtoriæ libri, latina lingua, eximiaq. gra-  
 uitate, & quod magis mireris, ſtrictò, planèq. Sallu-  
 ſtiano ſtilo perſcripſi, qui vel ipſam prouocare anti-  
 quitatē facilè poſſent. Sed quid opus elogio tãto vi-  
 ro? qui in vulgato Soliloquio ſuo ipſe ſtilo totū ſe di-  
 ſcripſit, atq; ad viuū effinxit: Cui nihil ad immorta-  
 litatem acquirendam deſuiſſe exiſtimari poteſt, do-  
 ctiſſimis pariter libris, & liberis editis, & poſt ſe reli-  
 ctis, qui non magis illuſtriſſimi patris, quàm Sere-  
 niſſimæ patriæ gloriā longè, lateq. diffundunt.

Decadis ſecundæ Finis.

# NICOLAI CRASSI IUNIORIS

In tertiam Elogiorum Decadem

PRÆFATIO

AD PHILIPPVM PASQUALICVM  
*Venetum Senatorem.*



T Palladem bellicosam, ac ciuilem Deam, pariſque literarum, & armorum cuitu ſpectabilem Antiquitas finxit: Sic te, Philippe Senator ampliffime, vtraque arte conſpicuum, & admirabilem venerati ſunt omnes, cum ferè

cunctos honores, qui domi, foriſque tribui poſſunt magnificentiffimè geſſeris, præcipuè verò cum quaſi dignitatem, vt inquit ille, dignitate mercatus, in Continentem Legatus cum ſummo imperio miſſus es, quo in munere cum iuſtitiâ vbique coleres, pietatem exerceres, prudentiam adhiberes; ſubiectis populis quietem, Reip. gloriam, tibi verò ſempiternam laudem, & immortale decus peperifti. Sic tua illa virtus, quæ nec maiorem ſpem apud Remp. concitare vnquam potuit, nec meliùs conceptæ ſpei reſpondere, ad maiores etiam honorum gradus, quicumque ſuperſunt, viam tibi muniuit. Ego verò tui, ſi

H  
quis

quis alius, studiosissimus admirator facere non potui, quin tertiam hanc fortissimorum ciuium Decadem tibi consecrarem, qui bellicas artes tot, tantisque publicis rebus præclarissime gestis supra omnes te callere ostendisti. Quod si tenuè fortasse hoc munus videbitur, vbi non quantum quisque tribuat, sed quantum tribuere possit inspiciendum sit, tum non dubito quin excusationem, si non laudem mereatur. Vale.



**N**on faustus modò, auspiciatus, & felix, sed etiam ad omnis posteritatis memoriam gloriosus, atq; beatus ille dies illuxit, quo Christiana classis ingentem illam de truculentissimis hostibus victoriam ad Echenades insulas reportavit. Sed cum incredibilem, & exultantem latitiam nonnullis fortissimorum Ducù funeribus Fortunatè perasset, vt scilicet homines fatalis mortalitatis vel in ipsa immortalis victoriæ perpetua gloria reminiscerentur. Nullius tamen obitù Veneta Resp. vel celebravit gloriosius, vel tulit acerbiùs, quàm huius Augustini Barbadici, togæ quondam, & armorum, nunc verò syderù, & cœli, si dicere fas est, clarissimi luminis. Is Magistratibus, Præfecturis, Legationibus insignis, prudentia pariter, atque virtute maxima præditus, æque consilio, ac manu promptus, cum difficillimo Reipub. tempore Sebastiano Venerio clarissimo Imperatori, æquè pugnacem, ac sapientem Ducem Legati nomine mittendum statuissent Patres C. vnus omnium virtutis acerrimæ, atque animi ingentis ergo electus est, in cuius fide, & præstantia maximam Respub. victoriæ spem collocaret. Quam ne frustrari expectationem videretur Senator eximius, incredibile dictu est quantum sapientia in cōsulendo, dexteritate in agendo, solidaq; in bellando virtute momenti, atq. adeo adiumenti ad res felici-

ter gerendas attulerit, cum omnia cauti, atque stren-  
 nū Imperatoris munia, omnēque fortis, & egregij  
 militis numeros mirificè impleret. Sed qui semper  
 fuerat tantæ cōmissæ pugne, parteq; victoriæ præci-  
 pius auctor, Hunc in ipso prælij fine, atq. triumphū  
 dimine rapuere Fata, vt sincerum gaudium, atq. cæ-  
 leste præmium exantlati laboris nulla mora interpo-  
 sita referret. Etenim dum triremi validissima nō mō-  
 dō sex hostilium triremium à quibus impugnabatur  
 impetum frangit, sed vbiq; etiam prouidere, atque  
 consulere conatur, cum letalē sagittā non magis ho-  
 minū numero subtraxisse, quā adscripsisse Diuorū  
 concilio credendum est. Itaq. ex eo vulnere verius  
 dixeris æternum decus, atq. gloriā effluxisse, quā  
 sanguinem, plusq. illū immortalitatis adeptum, quā  
 ademptum vitæ. Eoq. magis, quod illustrē effigiem  
 nobili celebratam elogio in medijs armis, cæterisq.  
 Reip. firmamentis gratissima patria illi posuit, vt in  
 pugna quidem imposito mortifero vulnere, in Cu-  
 ria verò immortali elogio, clarissimi cineres æter-  
 nū viuerent. Obijt, si quisquam interit, qui sic  
 diem obijt, vnō relicto tanti nominis, ac splendoris  
 hærede, in quem sicuti ex paterno sanguine conce-  
 ptas virtutes omnes diuina manus congescit, ita di-  
 gnitates, & honores vniuersos, qui tot, tantisq. orna-  
 mentis, meritisq. debentur, memor Senatus, & grata  
 Resp. incredibili fauore, atque plausu accumulatur.



BENEDICTVS, & PISAVRI.  
 HIERONYMVS


**D**Voisti Venetę classis Imperatores, non minùs boni consilio, quam pręlio strenui, ore quidem excelso, at magis animo, antiqua virtute, sed etiam antiquis moribus, cum nihil prorsus metuerent, nisi turpem famam, bellica gloria, & iustitia insignes, inuidiam ipsam eximijs, atque innumeris virtutibus præclare vicerunt. Si quidem Benedictus Pater ex Ionio in Hellespontum Turcarum alteram classem fugauit, alteram verò in Ambracio sinu gloriose cepit, Leucadiam, & Caphaleniam expugnauit, alijsque receptis insulis, Naupliam obsidione liberauit, sæuissimos Pyratas interfecit: Præclara facinora, neque digna, quæ tam breuiter referantur, nisi testimonium illud superesset, quod magni Consalui socius Imperator, nullaque ex parte minor, fuit sæpe numero promeritus, vt ab ipso non minùs re, quàm cognomento Magno Imperatore Imperator magnus, stupentibus omnibus, appellaretur: idque iure, ac merito cum & ipsa pugnandi arte, & audacia nemini cederet, & prudentia, atque consilio ceteros omnes gloriose præcederet. Quo factum est, vt absens Procurator D. Marci renunciatus, Corcyræ, pace iam facta, lætissimus obiret. Hieronymus vero tanti patris æmulator filius peregregiã in multis magni momẽti

ti negotijs domi, forisq̄ue operam Reip. præstitit; le-  
 gationibus clarus, non semel Reipu. classi cum sum-  
 mo imperio præfectus, atque exercitus vniuersi, to-  
 tiusq̄; continentis Imperator. Satis vterq̄; sibi belli-  
 cę laudis, satis quoq̄; Reip. imperij peperere. Verum  
 ad sublimem ingentis glorię cumulum vtrique mul-  
 tum accessit, cum in quacumq̄. vitę actione modera-  
 tissimi, militum maleficia singulari seueritate puni-  
 rent: cum præclarissimè vterq̄. statueret facilè in re-  
 bellica vitia Remp. oppressura, nisi celèriter oppri-  
 mantur. Igitur Hieronymus incredibili pulchritu-  
 dinis, atq̄. natalium splendore decoratum adolescen-  
 tem, eundemq̄. Triremis Præfectum, patradi facino-  
 ris conuictum, securi percussit: & Peditum insignem  
 Præfectum cum turpissimè fugam medicaretur, at-  
 que institueret ultimo supplicio seuerissimè affecit.  
 Benedictus verò in egregium patritij sanguinis vi-  
 rum more maiorú animaduertit, quod Pylo præses  
 ob Turcarum metum abiisset, atq̄; sibi commissum  
 oppidum deseruisset. Volebant scilicet vt Imperato-  
 rem milites metuerent, ne metuerent Hostes: neque  
 seueriùs in cæteros exercebant imperium, quàm in  
 se metipso, incredibili morum integritate, atque  
 vitę sanctitate viri: cum tamen aliquando remisso  
 ad lenitatem ingenio imperatoriam grauitatem sin-  
 gulari quadam comitate condirent: vt militibus cari,  
 hostibus formidabiles, Reip. gratissimi, omnibus  
 admirandi ad maximas quasque Reipub. dignitates

pro-

prouherentur, ac singulare posteris omnibus, cæte-  
risque nobilissimæ gentis proceribus virtutis exem-  
plum relinquerent: quo incitati Iacobus Senator  
amplissimus, Laurentius Hieronymi filius, Hierony-  
musque Iacobi, & Andreas Bartholomei filius lite-  
rarum, & eloquentiæ studijs clarissimi iuuenes, cæte-  
rique omnes tanti generis viri ad sublimes honorum  
gradus felicissimè contendunt.



 I quisquam est inter tot, tantosq; Venetorum Imperatores, qui vnus excellat, atq; principē locū iure merito obineat, aut certē hic erit Carolus Zenus hāreditarium decus paternæ laudis referens, aut nemo. Si quidem hunc habuit Respu. Veneta, quem Romanis, Græcisq; ducibus singulis anteferre, vniuersis autem opponere constantissimē posset. Etenim literis omnib. excultus, ac latina præsertim facundia celeberrimus, Imperator suæ ætatis omnium fortissimus, hostilium cadaverum congerie, ingenti victarum classium mole, & urbium ruinis, quasi gradibus factis ad illud conscendit gloriæ fastigium, vt non aliunde militaris virtutis exemplum & populares, & externi populi, quàm ab ipso acciperent. Puer adhuc cum Patrem Imperatorem clarissimum ad Smyrnā Turcarum armis interfectum amisisset ad Rom. Pont. se conferens, eam habuit orationem, eam præ se tulit magnitudinem animi, atq; indolis maiestatem, vt Patrensi amplissimo sacerdotio donatus, non inde solū tenues opes, atque fortunas subleuaret, sed pugnandi contra Turcas occasione feliciter capta, paternis manibus non semel auspiciatō parentaret. Iuuenis autem, iamque non paterno magis nomine, quàm propria virtute conspicuus a Io. Galeatio Cisalpina Gallia Principe accitus, a deo pacis omnibus, atq; belli artibus inclauit,

fuit, & ipsi Duci carus fuit, vt Collega potius, & imperij tutor, quàm Principis Legatus haberetur. Amplissimi verò Cypri Regis vniuersis copijs imperator præfuit, vt regni incolumitatem Caroli Zeni virtuti acceptam referret, præterea nemini. Vbi verò in patriam reuersus est Tenedo Præfectus græcos, atque Ligures ingenti classe oppugnantes non reiecit modò, sed incredibili etiam edita strage, fusos, fugatosque profligauit. Venerat classis cum imperio Dux lxx longas Hostium naues vel cepit, vel deprefsit: nobilissimam, atq. celeberrimam Ligusticam onerariam, mercibus, auro, gemmis onustam, quam omnes inexpugnabilem constantissimè credebant, iruicto ferro, atq; virtute expugnauit: Hostilem oram vniuersam diuastauit; Formidabilem vero classem iterum, atq; sæpiùs fugauit. Exercitus imperator Ligures hostes, Aquileieses, Pataunos, atque Pánonas copias ad Brøndulum vicit, profligauit, ac propè ad gentium internectionem delcuit, vtius fuerit vincere potius, quàm dimicare, & ex ijs vulneribus, quæ sæpiùs acceperat Victoria, è sanguine verò immortalis gloria felicissimè emanarit: Fossam Clodiam ammissam recepit, ipsamque patriam non solum timore liberauit, sed ingenti etiã affecit letitia, cum Andree Contareni inuictissimi principis triumpho non magis comes, quàm autor spectaretur. Ligusticam iterum classem à Bucicardo gallo fortissimo, & inuictissimo Imperatore auctam, & instru-

Etiam fortissimè vicit. Fuitq; in Castris Legatus cum  
 Patauium Resp. Carrariensibus ademit. Quidquod  
 amplissimum Cypri regem in regnum, & Caloian-  
 uem Bisantiij Imperatorem in imperium restituit: cū  
 aequè sciret inuicta manus & vincere reges, & face-  
 re. Procurator tandem D. Marci creatus cum in iudi-  
 cium aliquando traheretur, nec vlla ratione à quo-  
 quam induci posset, vt objectum crimem, neq; satis  
 probatum dilueret, fuit iudicum sententia in ordi-  
 nem redactus, & in carcerem trusus eo euētū, vt qui  
 terra, mariq; in castris pariter, atq; in curia glorio-  
 sus fuerat, ipsas etiam carceris tenebras in lucem, at-  
 que splendorem clarissimi nominis verteret: Cum  
 paulò post in pristinam dignitatem restitueretur,  
 suumq; diem obiens publico elatus funere, ipsoq; e-  
 Reip. Duce, & cuncto Senatu inferias celebrante,  
 Ciuitas vniuersa lacrymis, ac mœrore incredibili pa-  
 rentaret: cum interim ipse nihil sibi è tantis rebus ge-  
 stis præter gloriam quærens, tenuissimas quidem o-  
 pes, sed immensum, & immortale nomen perueru-  
 itæ, & nobilissimæ familiæ reliquisset.




Emini mediusfidius aut benignioris fortuna,  
 & aridentis naturæ dona, aut magno labore,  
 & pluribus vigilijs quasitæ laudes; aut  
 deniq; incredibili constantia, atque bellica virtu-  
 te parta gloria maior, aut spectatio contingere po-  
 tuit, quàm huic Francisco Barbaro, in quo supra Se-  
 natoriam purpuram literarum omnium, & virtutum  
 eximius splendor certatim elucet. Is cum ingenio  
 valido, mirèq; faciundo ad eam peruenisset eruditionis  
 exuperantiam, vt omnium sine controuersia do-  
 ctissimus esset, incōparabili morū candore, & singu-  
 lari virtutum splendore præfulgens, in Senatus am-  
 plissimi luce versatus est, atq; celeberrimis lucubra-  
 tionibus editis clarum, & perillustre nomen æternæ  
 posteritatis memoriæ commendauit. Incredibilem  
 verò gloriæ accessionem sibi fecit, vbi opulentissi-  
 mæ, & maximæ vrbis Brixia præfecturam à Rep. sibi  
 demandatam castè imprimis, atq; singulari prudentia  
 administravit: vt etiam ab ipso Apolline ad Mar-  
 tem pro temporis necessitatè deficeret, bellicam ar-  
 tem non leuiter, aut perfunctoriè, sed seridè, atq. dili-  
 genter amplexus. Etenim cum à Picinino Insubrum  
 Imperatore oppugnaretur sepius, ac etiam obside-  
 retur Ciuitas atroci fame, atq. grassanti pestilètia af-  
 flicta, egregiè semper, ac mirificè Barbarus incredi-  
 bili in hostes virtute, atq. astu, in ciues humanitate,

atq. candore; vnaq. præcipuè iniuncti animi magnitudine spes vndique prostratas erexit, effecitque, vt plus in vnus Præfecti virtute spei, quàm timoris in tot, tantisque hostium, Fortunæ, Cœli iniurijs obsessi ciues iure, ac meritò reponerent. Etenim bello strenuus, bonus consilio, patiens laborum, contra pericula iniuctus, cautus contra insidias, in operibus, in agmine, ad vigilias re magis ipsa, quàm verbis hortator aderat; cum Gregarijs militibus, atque etiam ipsa plebe infima non sermonem modò, & amictû, sed etiam in tanta rerum penuria cibum, ac potum promiscuum, atq. commune habens, & in pestilentia immanissima in medio foro semper versatus, omnibusque vel Imperatoris, vel Principis, vel Patris muneribus vsque ad ingentem omniû admirationem egregiè perfunctus: Quo factum est, vt tantum sibi conciliaret amorem, & obseruantiam, vt nò modò viri, sed ipsæ quoq. matronæ, ac mulieres militaria queq. munia vltro, atq. fortissimè obirent, & æquè Brixie salus in stola, ac in sago eo tempore poneretur. Quæ demum liberata ciuitate, ac desperantibus de expugnatione fortissimis hostibus, pacis artibus clarus antea, atque illustris, imperij postea, & belli virtutibus clarior, & illustrior Barbarus dubium fecit plusne in eo doctrinam, & eloquentiam, an robur animi, & fortitudinem admirari debeamus. Ceterùm in patriam reuersus artibus omnibus, quibus summa claritudo paratur, admirandus, multis magistratibus, præfecturis,




ris, & legationibus perfunctus, Diuique Marci Procurator creatus, quam Reip. debebat boni, eruditi, ac fortissimi ciuis operam, adusque vltimos annos pie, fideliterque persoluit. Inter cuius felicitatem, & gloriam illud præcipuè enumerandum videtur, quod Zacharia viri fortissimi pater, Hermolai Literatorum antistitis Auus fuerit, vt etiam ex eius familia M. Antonius Procurator illuxerit Senatorum omnium nostræ tempestatis acutissimus, sapientissimus, atque integerrimus: cuius virtutes omnes in Antonio filio viro excellente, atque Senatote prudentissimo intueri licet, & meritissimò admirari.




 Væ duæ virtutes celebrem imperatorem, & admirabilem facere consueverunt, inuictum animi robur, atque singularis ad bellicas artes calliditas, hæc ita conueniunt ambæ ad Georgium Viarum exornandum, & extollendum, vt summa cum gloria, ingentiq; suo merito, non magis hæc inter cæteras spectata, atq; nobilissima effigies ad spectandum, quàm eximia virtus, & admirabilis solertia posteritati ad imitandum exposita proponatur. Hoc enim feroce, ac impauido vultu, & nitentibus armis, sed intrepido magis animo, & fulgurante dextera conspicuus fuit, dum Corcyræ nigræ Comes cum imperio præfectus non modò Federici Arragoni fortissimi Imperatoris, sed ingentis etiam, atq; terribilis Classis impetum constanti virtute sustinuit, atq; adeo perfregit, cum nullo sapientis, nullo inuicti imperatoris officio prætermisso, salutare denique excogitauit artificium, quo Venetam classem subsidio iam adesse egregiè simularet, itaq; cunctis exultantis lætitiæ signis hostes perterruit, atque delusit, vt quingentis in oppugnatione militibus desideratis, se protinùs fugæ darent, tantaq; trepidatione recedentes in altum se reciperèt, vt qui paulò ante timorem maximum pugnantes iniecerant, modò fugientes dieterijs multis, atque sibilis, & clamoribus irrisi exploderentur. Viarus autem fugatis.

tis, & derisus hostibus, Penorum ducibus astu, an Ro-  
 manis Imperatoribus virtute exæquandus! in patriã  
 reuertitur, maximisque dignitatibus, & honoribus  
 domi forisque perfunctus, immortalis nomine par-  
 to vitam naturã, animã cælo reddit, è cuius vetustis-  
 simo genere Stephanus Brixie Præfectus, Senatorq;  
 numeris omnibus abrolutus; Vincetius, & M. Anto-  
 nius quã nobilitate gentis, quã ingentis, atq; subli-  
 mis animi magnitudine nemini secundi, tot, tantisq;  
 virtutibus eminentissimi, promerentur, vt sint per  
 omnium annalium monumẽta celebres nomini-  
 bus, & summos quoslibet honorum gradus meritif-  
 simò adipsantur.




 Vid aſtas? quid hanc viuacibus oculis, proluxa  
 barba, ſeuero, atq; pernobili oris habitu emi-  
 nentem, planèq; regiam effigiem admiraris? Quem  
 ſpectas purpureo paludamento, atq; radiantibus ar-  
 mis inſignem Iacobus Fuſcarenus eſt. Quid iterum  
 ſtupes, audito perecelebri nomine? Audi. Hic adole-  
 ſcens omnibus Britaniæ, Syriæ, Africaeque emporijs  
 aditis, externis moribus attenda cogitatione expen-  
 ſis, & maritimis rebus animaduertiſis, ingentem ſibi  
 rerum uſum, & civilem prudentiam comparauit.  
 Vir autem ita iniuncta ſibi munera adimpleuit, ut  
 concitatam apud omnes ordines acerrimo ingenio,  
 expeditaque facundia expectationem non modò  
 eumulatiſſimè expleret, ſed longo etiam interuallo  
 ſuperaret: ita commiſſas legationes obiuit, ut cum  
 Reipu. mandata exactè perficeret, patria pariter, at-  
 que cunctis principibus, equeſtri dignitate donatus,  
 non tam carus, & gratus, quàm clarus, & admi-  
 rabilis haberetur: Ita ſummo cum imperio Cretæ  
 Præfectus regnum temperauit, legibusque auxit,  
 ut non alter Minos ab inferis euocatus, ſed no-  
 uus Iupiter potiùs è cælo lapſus uideretur, ſequè ſem-  
 per ipſo maior, & clarior euaderet. Ita demum Ve-  
 neræ Classis imperator bis cum Uluzalio Turcarum  
 imperatore pugnauit, ut inſtructa acie, uixque tenta-  
 to leuiter prælio, ſeſe reciperent Hoſtes, & fugæ da-  
 rent.

rent oblata Fuscarenō occasione, quā incredibilem ostenderet excelsi animi ardorem, atque bellandi virtutem, cum iam milites adhortaretur, Collegasq; Pontificis, & Hispaniarum Regis Imperatores incelsū increparet. Exacta demum ætate iterum, & sepius maximus, ut aiunt, sapiens, excelsiq; Collegij Consiliarius, postremum D. Marci Procurator, quæ dignitas est à Principe proxima, & cum immineret bellum, iterum Classis Imperator creatus, omnes facile Reipu. dignitates obtinuit, si Principatum excipias, quem non ingentibus meritis, sed obiectæ seueritati non semel negatum, singulari, & eximia virtute, atq; rebus domi, forisq; præclarissimè gestis non semel est promeritus. Sed quod auget mirum quantum immortalis viri admirationem, ita vnus eodē tempore, & priuati Patris familias, & publici Senatoris partes administravit, ut summis opibus, & summa gloria partis, celebrem apud posteros utroq; nomine famam, & admirabile, atque numeris omnib. absolutum egregij ciuis exemplum reliquerit: Quod etiā duo spectatæ probitatis, & magni nominis filij, Eques alter, & Continentis, ut aiunt, Sapiens; alter vero Decemuir, & excelsi Collegij Cōsiliarius non minus paternæ facultatis, quam gloriæ hæredes, præclarissimè referunt, in quorum virtute, atq; Senatoria prudentia geminatum illustrissimum patrem Ciuitas vniuersa cognoscit, & admiratur.

## M. ANTONIVS BRAGADENVVS.

**Q**uo te nomine appellem, M. Antoni Bragade-  
 ne, non isto magis puleherrimo, excelloq;  
 oris habitu, & maiestate, quàm sublimi, atq; inuidia  
 constantis animi magnitudine, singulariq; in pa-  
 triam, & in Deum pietate supra mortales omnes spe-  
 ctatu dignissime? Inter Heroeste referam, an potius  
 inter diuos ipsos? Incredibilis equidem illa tua, ac  
 infracta virtus, qua Salaminæ non diuturnam ma-  
 gis, atq; crudellem Turcarum obsidionem egregiè  
 pertulisti, quàm sæpiùs ferro, flammisq; illatam vim  
 vel in vltima rerum omnium inopia generosè, ac im-  
 pavidè repulisti, Heroem te elamat incomparabilis  
 gloriæ, & splendoris, cunctis gentibus, atq; ætatibus  
 admirabilem. Sed te profectò in Diuorum nume-  
 rum retulit immortalis, atq; diuina penitus cōstan-  
 tia, qua fortis, inuidus, sanctus quidquid potuit vel  
 truculenta atrocissimi Barbari crudelitas excogita-  
 re ad tormentum, vel carnificis impiæ, atq; sceleratæ  
 manus inferre ad supplicium, intrepidè, & gloriosè  
 vsq; ad vltimum spiritum sustinuisti, cum acerbissi-  
 mis quibusq; cruciatibus affecto, viuenti adhuc, &  
 impuido cruenta pellis, vel ipsis erubescens, ac  
 que auersantibus terribis hostibus detraheretur.  
 Quo factum est, vt quod ipse viuens tutatus fueras  
 regnum florentissimum, generosa morte œcum-  
 bens mirum in modum illustrares, teq; contra ipsum

Regnum.

Regnum, cui dum staret, admirabili fueras praefidio, atque ornamento miserè cadens inter ingentes ruinas, & funesta incendia rogo, ut cum que potuit, honestaret, ac tumulo. Est modò immitis, atque detestandus Tyrannus, tuæque virtutis implacabilis hostis, & execrandam sitim, quam tuo sanguine vel toto explere non potuit, tua sanctissima cute, satiet, atque depellat: Iactet ille quidem cum miserabili tanti regni excidio se tibi vitam adimere potuisse, non potuit virtutem. Circumferat, atque ostendet malo Tiriemis pellem appensam, tuæque potius decoræ mortis, quam suæ infamæ victoriæ sublime trophæum, quo Venetorum Civium inclitum robur, ac fides non armis, atque virtute, sed perfidia, ac immanitate, si modò victa fuit, vinci posse testetur: dummodo nulla sit ora tam deserta, nullæ tam remotæ gentes, quo tua non perueniat gloria, quæque te cum ipsa bellica virtute exortum non vltro confiteantur. Sed quid elogium tibi? cuius vel ipsum immortale nomen illustris instar elogij ita Venetis omnibus est, ut quisquis verè constantem, atque diuinum Heroem significare velit, eum nesciat alio nomine definire, quam tuo. Non eget priuata commendatione tanta virtus, quæ proprio sanguine in ipsos æternitatis annales tuum retulit nomen, quæque inter Venetæ Reipublicæ monumenta, quasi tutelare Numen, posito simulacro, & encômio scripto, locata est. Ut eam scilicet venerentur vniuersæ gentes, æmulen-

tur verò precipuè Marcus , & Antonius illustres filij, quos veluti diuifum fanctiffimi patris immortale nomen, ita nunquam diuifa hæreditaria virtus, & gloria ad sublimes honorum gradus meritiffimò cuexit.





**V**it huius Petri Prioli maiestas, & gloria maior, quam vt meo preconio referri, ne dum amplificari pro dignitate possit. Etenim Cremonæ Prætor æquitatem seruauit, pietatem coluit, vigilantiam adhibuit. Consiliarius verò, maximusq; Sapiens doctrina, & eloquentia, rerum vsu, ciuiliq; prudentia planè admirabilis meruit, vt D. Marci Procurator ingenti ciuium fauore, atq. plausu crearetur. Ita pacis artibus omnium eminentissimus cum difficile Resp. atque periculosum bellum contra Ferrariæ Ducem, cæterosq; fœderatos Principes gereret, fuit etiam in Castris Legatus, vbi pluribus præliis fortissimè confectis, & oppidis felicissimè receptis, cum armis, & robore corporis omnes anteiret, consilio verò, & prudentia in paucissimis esset, dubium fecit gratiorne domesticis virtutibus, an bellicis artibus laudabilior, maioribusne beneficijs patriam, an cladibus hostes affecerit. Præclarus deniq; trium Venetorum Principum suffragator, ipseque non semel tantæ dignitatis candidatus, quamquam sibi alios prælatos videbat, æquo animo repulsam tulit, cum ei meritum honoris culmen ab una Filiorum multitudine è manibus ereptum videretur, ipse verò lætissimus frequenter diceret, gaudere se quòd meliorem se ciuem habuisset Resp. Maximis autem laboribus defunctus, & honoribus auctus, quasi non dignum

dignum tanta virtute terrarum orbem relinquens,  
 remeavit ad superos, vir belli, domique illustris, &  
 honoratissimæ imaginis futurus ad Posteris: quos  
 inter Antonius D. Marci Procurator, & Eques, Hieronymusq;  
 Frâncisci filius Palladis alumnus, & Musarum delitia:  
 Hieronymus Consiliarius, Michael iterum, ac sapius Triumvir  
 Aduocator: Franciscus Senator amplissimus Constantini filius,  
 cæteri que innumeri illustrissimæ gentis heroes tantum autorem  
 secuti, atque immortalis gloriæ nunquam se in inuidiâ  
 vertētis hæredes, togati, quod haud facile est, æquarunt  
 armati gloriam, vt summis quibusque honoribus  
 perfuncti, non minùs reddant dignitatibus ipsis  
 propria dignatione honoris, quàm ab iisdem acceperint.



## ROBERTVS MALATESTA.

**R**obertum Malatestam Arimini Principem bel-  
lorum eximium decus, & Martis inuicta glo-  
ria inter præclarissima belli Numina retulit: studium  
verò erga Veneram Remp. quo cunctis ad vnum Pa-  
tritorum suffragijs inter patritios ipsos referri meri-  
tus est, facit vt inter Venetos Heroes numerandus  
omnino videatur. Hic inter arma sublimi loco na-  
tus, atque in ipso Bellonæ sinu ferociter innutritus  
quam ex eius vbere suxerat disciplinam bellandi, vt  
primùm eam attingit ætatem, quæ labori militiæ fe-  
rendo par erat, præclarissimè ostendit. Adolescens  
adhuc, quæ fuit virtutis fama, à Florentinis summus  
Imperator creatus ita se gessit, vt ei primas in bello  
communis omnium consensus deferret. Hac ille  
frontis, atque oris seueritate, igneis, atque minacib.  
oculis martium vigorem euibrauit, cum oblatum in  
acie hostem inuicta dextera sterneret, tranquilliori  
tamen aspectu ingenitam mansuetudinem præfe-  
rens, cum eloquentia militari planè admirabi-  
lis vel militum animos deliniret, vel in hostes ac-  
cenderet. Nemo domi consultior, nemo in castris  
belli præceptis instructior, nemo in pugna fortitu-  
dine, prudentia, ac industria præstantior habitus.  
Quo factum est vt inuicto robore animi pariter, &  
corporis, peritia, & fortuna belli à Veneto Senatu  
in Bartolomæi Coleonis locum Imperator declara-  
tus,

tus, eodemque fermè tempore à Roma. Pontifice honestissimo Confalonerij titulo insignitus validissimis copijs præficeretur. Dedit autem ingens celeritatis, virtutis, atque prudentiæ specimen cum à Senatu Veneta pietate ad opem Roma. Pontifici ferendam missus, ad Velitras cum Alphonso Calabriæ Duce collatis signis conflixit, eo euentu, vt singulari parta victoria, & profligatis hostibus cuncta ad vnũ militaria signa adimerentur, & innumeri viri principes captiui fieret, qui triumphum à Romano Pontifice iure ac merito illi decretum, & prisco more celebratum non mediocriter illustrarent. Ita qui priscos Romanorum Duces inuicta, celerique bellorum gloria vnus præcipuè referebat, vnus etiam præcipuè triumphandi consuetudinem antiquatam in vsum reuocauit. Sed quasi gloria satur terrenum triumphum fastidiret, ad ipsam beatorum arcem, ipso assistente, atque Viaticum ministrante Pontifice maximo, gloriosissimè accessit, vt etiam inter beatos spiritus sacrosanctæ Ecclesiæ miles fortissimus, & hostium uictor triumpharet. Fuit dum viueret tanta munificentia, & animi magnitudine præditus, vt ei Magnifici cognomentum tribuerent omnes, & quidem ita, vt neglecto nomine non aliter vulgò audiret, quàm Magnificus. Post mortem Equestri statua Romæ donatus est, & percelebri elogio vel ipsi Iulio Cæsari meritissimò æquatus: Venetijs verò fuit Robertus abnepos præclarissi-

rissimus iuuenis, doctrinaeque, & eloquentiae stu-  
 dijs eminentissimus vnà cum fratribus annuo vecti-  
 gali in tanti viri memoriam à grata Republica do-  
 natus.



# VINCENTIVS

## MAVROCENVS.



Vodnam verè dignum, tantisq̃ue virtu-  
tibus debitum præconium tribuerim ti-  
bi, Vincenti Maurocene, Senator am-  
pliffime, qui ad laudem bellicæ virtutis  
ingènij quoque, & eloquentiæ gloriam adiecisti  
modò hac, modò illa insignis, semper verò con-  
spicuus, & admirandus? Tu vi, & proceritate  
corporis animi robur, & celsitudinem referens,  
æque in armis, ac studijs versatus ita corpus pe-  
riculis, & animum disciplinis exercuisti, vt nec  
iuuenibus manu, nec senioribus prudentia conce-  
deres, ad labores impiger, ad pericula fortis, ad  
consilia prudens: in colenda verò iustitia, ma-  
ximisq̃ue legationibus tractandis æquissimus om-  
nium, & eloquentissimus, pariterq̃ue togatus, &  
armatus sine vlllo pari: vt non bellicæ magis lau-  
dis, quàm pietatis, iustitiæ, humanitatis, & libe-  
ralitatis omnes tibi primas deferret: Vnde factum  
est, vt Præfecturis, Magistratibus, Legationibus  
maximis egregiè perfunctus in D. Marci Procu-  
ratorem euaderes, atque turbulentissimo Reipub.  
tempore, quo teterrimi, ac atrocissimi Hostis ad-  
uentum ipsa Ciuitas mirum in modum horrebat,  
in te vno spem poneret non dicam victoriæ, sed  
liber-

libertatis, atque adeo salutis, tibi que vni ex  
 omnibus more maiorum mandaretur, vt pena-  
 tes, aras, & focos, urbem denique totam ab im-  
 minentibus periculis sartam tectam conseruares.  
 Tu non solum Classi, & copijs omnibus terre-  
 stribus, sed etiam litoribus, & Vrbi cum Imperio  
 Præfectus tam acri, singularique virtute, ac pru-  
 dentia cuncta munia gessisti, vt nec virtus opinio-  
 nem, nec prudentia expectationem conceptam  
 minueret, quinimmo augeter mirificè, atque am-  
 plificaret: Licet enim hostis nunquam accesserit,  
 sed ex intimo sinu pedem citissimè retulerit, attamen  
 cognouit exercitus, Classis, Populus, Senatus  
 quantum operæ, diligentia, studij, vigilantia in  
 communi salute defendenda collocares, quanta-  
 que animi alacritate populum vniuersum ad bel-  
 landum inflammaueris, atque etiam exercueris:  
 Litora que nouis aggeribus, ac turribus munita, vt  
 à quavis hostium incursione nihil planè ciues ti-  
 mere possint, sed vel in vtramuis aurem tutissimo  
 dormire, ostendunt omnibus, atque clamant con-  
 silium adfuisse sibi, consilio verò nec animum, nec  
 industriam defuisse. Ego verò si te vel iustum,  
 vel facundum, vel prudentem, vel fortem dixe-  
 ro, minùs certè prædicauero, quàm debeo, quàm-  
 que veritas exigit: Si verò te nobilissimæ, ac ve-  
 tuustissimæ Maurocenæ familiae decus, & ornamen-  
 tum præcipuum, & singulare appellauero, si di-

gnum Borbonis filium, dignum Borbonis patrem,  
strictim; ac veluti compendio quodam meritas lau-  
des perstringere visus fuero.

## Decadis tertiæ Finis.





# NICOLAI CRASSI IUVNIORIS

In quartam Elogiorum Decadem

## PRÆFATIO

AD GEORGIVM CORNELIVM  
*Venetum Senatorem.*



Quartam elogiorum Decadem tibi ex omnibus, amplissime Georgi, nuncupare decreui, vt onus hoc si non felici, ingenuo certè labore susceptum in excelso, & amplissimo sinu reponeretur, & aliquid saltem digni

tatis, & gloriæ à tam claro, atque celebri nomine mutaretur. Tu enim, vt gentis hæreditatem, virtutes creuisti, quibus omnibus ita es cumulatus, vt præcepta potius, quàm præbita laudandi facultas videatur: cum præclarissimos tanti generis autores secutus, & faciliè quos æmulari institueras, omnes affectus, post Censuram, & Decemviratum, Consiliarius deniq; renunciatus, au ita gloria stimulos addente, eam viam ingressus fueris, quam tibi præter cæteros lo. frater D. Marci Procurator gloriosissimè strauit. Ceterùm non quid afferam, sed quo animo affe-

ram

ram spectes velim, meque in clientelam suscipias.  
 Ut qui mortuorum illustrium memoriam colui, vi-  
 uorum illustrium benevolentiam conciliaſſe mi-  
 hi videri poſſim. Vale.

PRÆATIO

AD GEORGIVM CORNELIVM



**H**X hoc Aloysij Belegni Senatoris amplissimi honesto, atq; venerabili ore non ornata minus verba, quàm sententias illustres quasi ex vberissimo quodam eloquentiæ fonte manantes, & Forum, & Curia sæpiùs admirata fuere, cum singulari ingenio, atq; diuina penitus facundia ita omnis memoriæ, atq; ætatis oratores adæquaret, vt si Diuorum disertissimi Mercurius, & Apollo cælo dilapsi terras inuiserent, neq; maiori facundia perorare, neq; maiori concursu, atq. adeo admiratione auri crederentur. Sed cum eiusmodi virum cõ mortalibus Dij concesserint, vt esset in quo se virtus, atq. doctrina per omnes numeros extenderet, postquam diu, multùmq; celebris, & gratiofus in foro vigit, ita se ad Remp. contulit, vt in eo neq. prudentia in consulendo, neq. iustitia in iudicando, neq. solertia in regendo desiderari posset. Ad maximas itaque dignitates euectus, post Aduocatorios, vt aiunt, Triumuiratus, atq. Censuram, Fori Iulij cum imperio Legatus, Decemuir, atq. Consiliarius, Magnusq; sapiens renunciatus, nihil omnino reliquit, quod vel Reip. fructui, atq. ornamento esset, vel sibi honori, atq. dignitati; ita deniq. se gessit, vt cum nihil ad summæ virtutis, prudentiæ, eloquentiæ, iustitiæ fastigium ipsi deesset, nullum pariter esset præmium virtutis, insigne honoris, monumentum laudis,

dis, quod à Rep. bene de se merito ciui negaretur. Objit non planè senex, Marino Grimano Venetorum Principe: relictis clarissimis filiis, Quorum Carolus, & Iustus Antonius duo præcipua tantæ Reip. lumina: alter eloquentia forensi admirabilis, alter bellica virtute conspicuus, quasi ex æquo maiorum gloria diuisa, omnium oculos, & admirationem in se conuertunt; Cum ille lingua, hic manu in foro pariter, atque in mari immortalè familiæ decus non sustinere magis, quàm amplificare videantur.



**I**N celeberrimo, verèque summo, & admirabili Veneto Senatu, dum continentis imperio ferè toto amisso, in maximis angustijs Patres versarentur, omnium primus oculos, & admirationem in se conuertit Aloysius Molinus, qui longorèrum vsu, liberalique omni doctrina perpolitus, pulchritudine oris egregia, staturaq; procera, de Patavio recuperanda, vbi paulò antè Prætor fuerat, eloquentissimè sententiàm dixit, bellique autor fuit, quod consilio prudenter susceptum, exitu quoque felicissimè confectum est. Hunc generis splendore, diuitiarum amplitudine, gloriæ claritate nemo suæ ætatis superauit: cum eò peruenisset fastigij, vt D. Marci Procurator creatus omnibus ferè Senatufconsultis non interfuisse, sed præfuisse diceretur; Neque possent vniuersi ciues pro dignitate munus illud celebrare, quod afflictæ Reip. atque patriæ pro veteri gloria, pristinaque dignitate retinenda magnificè fecerat. Quod enim offerre maius, meliùsve poterat, quàm cum sexcentis Peditib. filiù ipsam, Andreamque ex fratre nepotem, ingentis corporis, ingentioris animi, virtutis incredibilis. Huius itaque ciuili prudentiæ, & infracti animi magnitudini pristinam maiestatem recuperatam Veneta Respubl. acceptam fert; Qui cum Politicos libros de manibus nunquam poneret, exemplo docuit, vt agrum si-

ne cultura, sic animum sine doctrina, quamvis fertilem suapte vi fructuosum esse non posse: vbi vero illa accesserit, incredibilem gloriæ segetem referre. Sic magnis ille deorum muneribus, & Reip. honoribus affectus, vbi sempiternam vitam promeruit, ab hominibus gloriôsè demigrans, caducam amisit, vt in æternam tantæ virtutis memoriam Procuratoria dignitate, quam ipse obtinuerat, ex S.C. Filius augetur, quod antea inauditum Posteris ad æmulationem æternum excitabit, inter quos præter Marinum, & Marcum honestissimos viros, Franciscus etiam Adriaticæ classis Præfectus, & Dominicus frater literis omnibus, ijsque præsertim, quæ ad Respu. moderandas spectant, ornatissimus, antiquam familiæ splendorem, & dignitatem gloriôsissimè retinent.



## BENEDICTVS ERITIVS.

**N**ix vllum ab omni æuo Senatorem inuenire posses, cuius probitatem, & innocentiam Benedicti Eritij integritati, atque adeo sanctitati compares. Is ab ineunte ætate cuncta vitia non modò non sectatus, sed etiã acerrimè infectatus non esse minùs, quàm videri vir probus præclarè constituit, vt incorrupti mores in perduto seculo iam inde à pueritia admirationem habuerint singularem. His ille artibus & ad honores in Rep. & gloriã in cælo viam sibi muniuit, rectumque iter ingressus est, & perfecit. Etenim Clodiæ Prætori, Corcyræq; Præfecto id libebat solū quod licuisset, nihil probabile videbatur, quod seuera iustitia nō probasset, cū neq; cupiditati, aut affectib. vllis indulgeret, nec ab officij præscripto vlla ratione discederet. Institutis verò domesticis non minùs, quàm publicis planè admirabilis, vel literarum studijs, vel publicis cogitationibus, vel diuinis precibus totam fermè diem conterere solebat, vt etiam quæ duæ res languorem afferunt cæteris orium, & solitudo, huius industriam, & probitatem mirificè acuerent. Ab omni contentione, atque adeo ostentatione remotus numquam ferè silentium rumpebat, nisi cum indigna silentio proferret, verborumque promum, & condum non os, & labbia, sed pectus, & animum sapientissimè instituit. Decemuit autem, & Consiliarius ita sapiùs

M 2 creatus

creatus est, ut cum nullam ferè dignitatem peteret, dignitates omnes assequeretur, gloriamque promereret veriùs, quàm captaret, cum ille frequenter non cumulandis honoribus, sed minuenda cupiditate veram quietem parari, solidamque gloriam acquiri prædicaret. Sic ad extremum usque senectutis minùs ætate crevit, quàm gratia, & autoritate: cumque senectæ, & sævientis hiemis frigus naturalem calorem sensim extinxisset, Francisco Senatori maximo, atque Nicolao viro præstanti filijs, familiæ splendorem, rei que publicæ dignitatem ob oculos ponens, quasi fortunam hominis egressus in cælum migravit. Hoc est scilicet æternam gloriam breui morte veluti prætio comparare, & acquirere potiùs vitam, quàm amittere.





**P**ulchrum fanè, atq; gloriosum tibi fuit, Georgi Corneli, ex ea gente nasci, quæ vel illustri stupendæ antiquitatis origine, vel præclarissima rerum vbiq; gestarum gloria, omnibus demùm fortunæ copijs concederet omnino nemini: Pulchrius tamen, atque gloriosius, non modò hac liberali, & decora facie, sed ingentibus etiam virtutibus, atque incredibili magnitudine animi maiorum dignitatem, atq; gloriam retulisse, immò verò non leui accessione facta mirificè cumulasse. Pulcherrimum denique, atque gloriosissimum fuit, quod in Corneliam gentem facilè concessurum erat, id in Remp. Venetam transferendum curare, opulentissimum, atq; antiquissimum Cypri regnum. Ita dum te Venetum patritium esse meministi, amplitudinis propriæ oblitus videri poteras, nullamq; posteritatis tuę rationem habuisse, nisi hac ratione longè maior decus, ac laudes ipsi reliquisses, quàm vel plura regna collata tribuere potuissent. Præclarè certè existimasti, atq; constituisti maximam gloriam non in maximis imperijs, sed in maxima virtute sitam esse, multòque præstare donare patriæ regnum, quàm regno potiri. Igitur non te magnanimitas, Corneli, sed tu magnanimitatem nouo genere ornatam illustrasti, vt qui probitate Nasicam, diuini etiam animi magnitudine Africanos, atq; Asiaticos gentiles tuos

vnus profus æquales. Ob hoc igitur immortale er-  
 ga Remp. meritum Eques, atq; Procurator creatus,  
 virtutis, & eloquentiæ nōmine gratissimus, singula-  
 ri in omni vita moderatione, magnificentię studium  
 per omnes numeros extendisti, atque hoc decus  
 consentientibus omnibus consecutus es, vt Patriæ  
 parens meritò dicerere. Cum idem illustre facinus  
 Venetam Rempub. florentissimo regno, Te verò  
 præclaro, atque glorioso cognomento feliciter in-  
 gniret.



**H**æc ingenua facies, quæ prolixa, barba, & veneranda canitie spectabilis incredibilem cum mansuetudine maiestatem spirat, Iacobum Æmilianum ante oculos ponit, cuius probitatem, & innocentiam nemo vel facundissimus Orator prodignitate celebrare posset. Etenim maxima integritate, atq; iustitia Senator, cum virtutes omnes sanctissimè coleret, ut ab omnibus summa reuerentia coleretur iure, ac merito obtinuit. Per omnes itaq; Reipub. dignitates prouectus est, ut quæ in candidatis præcipuè requiri solent, pietas, ac multis, magnisque rebus spectata probitas in tanto viro certim elucescerent, & in altissimo Procuratoriæ dignitatis gradu collocaretur: religionis, ac pacis mirificus cultor, cui nihil fuit potius, quàm ut innocentia, prudentiaque posteris imitanda exempla relinqueret, cæteris autem omnibus suspicienda: Itaque ius pro tribunali summa æquitate dicens, & sententiam in Curia summa eloquentia, usq; ad exactam ætatem feliciter peruenit. Cum verò duo sint præcipua virtutis præmia, humanum scilicet gloria, diuinum beatitas: illud constantissima fama obtinuit, hoc etiam gloriosè in cælum euectus, consecutus est; ut Iacobum etiam pronepotem, Marcumque, & Angelum illustrissimæ gentis superstites tantam virtutis exuperantiam æmulatos, nihil antiquius habere videamus.

videamus, quàm vt omni laude, & prædicatione ma-  
iores tantum simul heroem, ac humanæ gloriæ me-  
tas longè, multùmq; superent, atque omniumq; ocu-  
los, & admirationem in se conuertant.




**P**otuit equidem hisce lineamentis pingi, atque breui tabula capi Matthæi Zanæ Venetiarum Patriarchæ nobilissima effigies. Sed quo mihi penicillo, & quibus coloribus effingenda, quibusve terminis circumscribenda excelsa illa diuini animi magnitudo, quæ cum ad cælum ferè cuncta dirigeret, vix tamen cælo capi videbatur? At cum natura cuiusmodi formauerit speciè oris, vt in ea reconditos mores animi, & abditos affectus aliquatenus expresserit, admirentur, atq; suspiciant vniuersi egregium, & sine superbia cunctis venerabilem aspectum, intelligantq; tantum virum non singulari minùs facundiam cum ciuili prudentia coniunxisse, quàm admirabili æquitate summam iusticiam egregiè temperasse. Quod si ex elegantissimis lineamentis non satis intelligunt, Audiant Veronam, quæ à tali Præfecto iustissimè recta, cum in oculis ipsi fuisse, atque adeo fouisset in sinu, neque potuit, cum rediret in patriam, lacrimis abstinere, neque accepta beneficia, postquam etiam interijt, ex memoria deponere. Audiant fere cunctos Reges, & Principes, ad quos à Repub. Legatus missus, Senatus vniuersi reuerendam speciè, rei quæ ipsius publicæ autoritatem, ita secum attulit, vt nihil esset, aut tam difficile, quod non impetraret, aut adeo magnum, quod expectare non posset, vnde non solum amo-

rem, sed etiam ingentem sui admirationem concitavit, & equestri dignitate à maximis Christianis principibus auctus fuit. Verùm nihil testibus tantæ virtuti est opus. Etenim cum in quouis munere dignitatem propriam cum Reipu. salute adeo coniunxisset, vt non satis constaret an sibi plus ad decus, quàm illi ad vtilitatem adderet, fuit à gratissima patria ad supremas quasque dignitates summo studio, atque gratia euectus. Cum autem Patribus eligendus esset Senator grauissimus non virtute magis, quàm probitate, atq; religione spectatus, quem Laurentio Priolo Cardinali, eidemque Venetiarum Patriarchæ defuncto, pro Reipu. iure sufficerent, vnus inter cæteros dignus visus est, cui tanta dignitas ingenti plausu, atque consensu deferretur: ipso tamen vsque adeo renitente, ac inuito, vt nescias maiorine cum laude tantum splendorem promeritus reiecerit, an obtinuerit. Cæterùm incredibile memoratum est, quântum in suscepto munere vel singulis citibus, vel vniuersæ Reip. satisfecerit, cum qui ceteris auctoritate antecelleret, omnibus vel infimis facilitate par esset, cumque lenitatis, & mansuetudinis partes semper ageret libentissimè, grauitatis verò, atque adeo feueritatis personam à Repub. impositam cum opus esset constantissimè sustineret, Egregio deniq; temperamêto, cum se ad Sacerdotes intelligeret transfisse, nunquam tamen Reipu. dignitatem, atque etiam libertatem obliuisceretur. Quo factum est, vt Ro-

mano Pontifici pariter, atq; Veneto Senatui carus, iustitia, integritate, & sanctitate insignis, & venerandus, non vitam cum morte, sed mortalem cum aeterna vita commutaret: atque non modò tantis dotibus, & ornamentis par desiderium cunctis ordinibus reliquisset, sed plures etiam ex illustrissima, atque nobilissima gente Reip. proceres, qui tot, tantasque virtutes ad vivum repraesentarent: cum Io. Iacobus amplissimo Cretæ Regno cum Imperio praefectus, Hermolauus Excelsi Collegij consiliarius, ac Patauina, modò praefectura integerrimè functus, Hieronymus è fratre nepostanti generis maiestatem, & gloriam, quam acceperunt amplissimam, maiorem posteritati relicturi videantur.



## PAVLVS GEORGIVS.


 Vis hunc Paulum Georgium spectet quin ex ipso vultu incredibilem ingenij vim, & excelsum ingentis animi magnitudinem non intelligat, & suspiciat meritissimò? Vereor equidem in hoc exornando ne pondere laudis, atque diuinæ gloriæ planè obrutus meam potiùs. retegam imbecillitatem, quàm tantum virtutum omnium exemplar ad viuum expressum exhibere possim. In hunc enim consilio, ingenio, sapientia spectatissimum amplissimi quiq; honores congesti sunt, vt quocumq; mentis aciem intendam eximium aliquid, atq. memoratu dignum occurrat. Adolescens adhuc Gambararijs Præfectus, qui temporibus illis maximus honor habebatur, dignitatem conseruare, amorè sibi conciliare, iustitiam, ac virtutes omnes sanctissimè colere, vt nullo periculo, nulla gratia, nullis artibus à rebenè cepta dimoueri posset. Quo factum est, vt in patritij sanguinis virum ex legum præscripto animaduertret, qui venta legibus arma iussus abijcere, non modò non paruerat, sed Licetorem etiam ipsum per contumeliam habitum sapiùs obstinatè resecerat. Itaque cum veræ, solidæque iustitiæ specimen dedisset, periculo virtutis facto Taruifum dein de Prætor, idemque Præfectus mittitur, mox Continentis sapiens creatur, tum Veronæ præficitur, postea Triumuir aduocator renunciatus, inde in Decem-



cemuirum Collegium cooptratus est: cum tot, tantif-  
 que muneribus publicis ita se gereret, vt ex vno ad  
 aliud quasi gradu facto, ampliora semper illi vltro  
 deferrentur. Profectus denique cum summo impe-  
 rio in Cretam non solū oris dignitate, quæ in eo fuit  
 summa, sed etiam integritate, virtute, & præclarissi-  
 mis vitæ institutis reuerentiam sibi, & obseruantiam  
 summam comparauit, eaque ratione regnum illud  
 amplissimum administravit, vt multò feliciores, qui  
 tanto viro parent, quàm ipse, qui præfesset impe-  
 rio, non iniuria haberentur. In patriam reuersus ite-  
 rum, ac sapiens maximus sapiens vti longè à vitijs om-  
 nibus, ita famæ propior gloriosissimè vixit. Cum au-  
 tem Resp. grauiſſimo, atque acerrimo bello præme-  
 retur, rei frumentariæ Præfectus, vt erat graui cum  
 primis, & expedita facundia, luculentissima oratio-  
 ne habita, ex ipsa dicendi contentione mortiferum  
 morbum nactus, non sine maximo ciuitatis vnuer-  
 sæ dolore, terrenam patriam, vt ad cœlestem euola-  
 ret, reliquit. Felix equidem propria virtute, & rebus  
 gestis, felicior tamen Alexandri, Aloysij, & Ioannis  
 filiorum integritate, sapientia, eloquentia, quibus  
 conspicui Senatores amplissimi, & omnibus admi-  
 randi tantæ Reip. maiestatem, familiæ splendorem,  
 & patris nomen præclarissimè tuentur.

## PETRVS SANVTVS.

**N**emo vel summa, dum vixit, autoritate, vel sempiterna post mortem gloria Petrum Sanutum superauit, qui cum insignem rerum ciuilium peritiam cum admirabili vitæ innocentia coniunxisset, omnibusque acumine, & fertilitate ingenij facile par esset, ad id gloriæ culmen euectus est, super quod ascendere non liceat. Cum itaque post multas acceptas à Rep. dignitates Patavij Prætor esset renunciatus, ita se gessit, vt nunquam iustitia maioribus deesse, scientia verò, atque, ciuili prudentia superesse videretur. Integritatis autem adeo studiosus, vt nullum proferret verbum, quod vel ipsis Vestalibus arbitris, proferre non posset. Maximus denique Sapiens, vt aiunt, creatus, atque calamitoso Reipubl. tempore multos annos in excelsso collegio varijs nominibus retentus, cum infelices etiam casus summa prudentia in felicitatem vertere didicisset, singulari mortalium omnium existimatione, & nominis celebritate, se ipsum simul, atque humanæ virtutis metas superauit. Sed letalem morbum ex ipsa dicendi vehementia, & ardore, perperuisque vigilijs nactus, repente occubuit; & morte sua non minus graue Reipu. vulnus imposuit, quam acerbum sui desiderium reliquerit.

## VINCENTIUS GRADONICVS.

**V**incentius autem Gradonicus tanta innocentia vixit, tantaque gloria interiit, vt inter felicissimos viros vel à Solone referri, Cresoque Regi longissimo intervallo præferri posset. Adolefcens primùm excelsò animo, omnibusq; virtutibus exaggerato in honestissima patritiorum iuuenum academia quasi palestra se exercuit, vt inde maximum inter iuuenes nomen reportaret, maximamque faciundia expectationem apud omnes ordines excitaret. Postquam verò ex umbratili exercitatione in medium Senatus agmen, & puluerem orationem eduxit, ita Senatorum animos flexit, vt non persuadere, sed decernere, non perorare, sed exorare diceretur. Cum autem latinis, italicisque literis, quibus instructus poterat vtraque lingua ornatè, aptèque dicere, humanitatem etiam, integritatem, & ciuilem prudentiam adiunxisset, ad sublimes honorum gradus facilè ascendit, & post maximas quasque legationes prudentissimè obitas equestri dignitate auctus ad Turcarum Imperatorem orator missus, maximam vbique Reip. dignitatem, & gloriam peperit, cui suam ipse dignitatem, & gloriam acceptam referebat, agros nimirum fertiles imitatus, qui multò plus afferant, quàm acceperint. Dum verò in munere amplissimo nihil antiquius habet communi salute, omniaque libertate posteriora ducit, splendorem in omni vita,

ni vita, & munificentiam retinens ita diem p̄matu-  
 rē clausit, vt vitæ breuitatem æternitate memoria  
 compensare, & ex altissimo dignitatis gradu ad cæ-  
 lum peruenisse videretur. Familix verò nobilissimæ  
 auctoritatem multis rebus gestis, magnisque Reip. in  
 dicijs auctam, & eximiè vel ipsa morte amplificatam  
 Francisco, & Bartolomeo filijs viris clarissimis, tan-  
 toque patre dignissimis reliquit.



in vita

**S**ic vultus regia quadam maiestate decorus, totiusque corporis habitus, atque dignitas cum animi candore, & magnitudine in Vito Caotorta certauit, vt animus ipse non terreno carcere inclusus, sed pellucido quodam, & purissimo domicilio receptus videretur. Is nulli culpæ affinis, præstantique ad miraculum ingenio tantam scientiæ vim, & cognitionem habuit, vt prodigij similis oculos omnium, & admirationem in se conuerteret: cum præcipuè incredibili quadam, & propè diuina facundia ita gratiam terrore, grauitatemque mansuetudine mixtam spiraret, vt nulla tam crudelis, immanis, efferaque natura reperiretur, quam vel solus Caotortæ aspectus non ad mansuetudinem, & reuerentiam traduceret. Namque aspergebat dulcissimo lepore, tanquam sale orationem omnem, ideoque sibi cuiusuis beneuolentiam mirum quantum conciliabat. Ad maximas quasque Reip. dignitates elatus, & belli pacisque artibus nemini secundus Consiliarius denique renunciatus est, vt Senatoriæ purpuræ tanta oris pulchritudine, atque maiestate, tantisque virtutibus nouum lumen, atque fulgorem tribueret. Fuit adeo magnanimus, vt beneficentia vel prouocatus, vel vltro ipse prouocans. cum quoque certaret, atque videri vellet non modò acceptum beneficium rependere, & exæquare, sed magno insuper

O

remu-

remuneracionis cumulo planè superare, cum tamen quasi nunquam relata gratia, sed apud eum semper integra, maiori in dies beneficiorum cumulo bene merentes obrueret. Ita per omnia dijs, quam hominibus propior cum sibi æternæ gloriæ, ac sempiterni nominis iter aperisset, Leonardo Lauretano Venetorum Principe, diem suum clausit. Quod illustrissimæ familiæ tuæ decus, & ornamentum, Paule, cum tibi ad imitandum proposuisse, moriar ni mihi adiuuum expressum, omnibusque numeris absolutum tanti viri exemplar in te videre videor. Adnitere magno animo, & qua capisti virtutis, & gloriæ via, quam tibi præter ceteros Hieronymus etiam pater in Senatum lectus gloriôsè strauit, ad excelsum immortalitatis fastigium contende. Intuere te metipsum tantis vel naturæ, vel fortunæ, vel etiam studij muneribus mirificè instructum, cumque nihil omnino tui nominis amplitudini deesse possit; labora, ac perfice ne tibi ipsi deesse videaris. Ingratus sim nisi tibi quantum debeam, debeo verò plurimum, tantum etiam debere profiterar: sed ingratus sum nisi testimonium quodcumque potui non magis ex intimo cordis affectu, quam ex sanctissimo veritatis arcano depromptum, cum amicitiaë nostræ, tum virtuti tuæ debitum tribuerem.

Decadis quartæ Finis.

## LECTOR.

**D**VO testimonium volo; Alterum nihil in  
 elogijs nostris de gentium origine di-  
 ctum, siue claritate, nam esse Patriorum  
 Venetorum satis est cognoscere: Alterum autē mul-  
 ta vel consultò prætermissa, vel strictim expressa, ne  
 viderentur in historiam hæc Elogia euadere: & verò  
 præclara facinora explicata vberius ex Venetis hi-  
 storijs peti poterunt, ab ijs præsertim, quas Andreas  
 Maurocenus Senâtor amplissimus, Maximusque Sa-  
 piens & incredibili facundia, & latini sermonis ele-  
 gantia, & rerum gestarum fide vulgaturus est. Cæte-  
 rum ne quis Venetos omnes Heroas inter quatuor  
 Decadum angustias circumscriptos existimet, sciat  
 Is ad quadagesimam propè Decadem me iam per-  
 uenisse, atque etiam Imperatorum hunc numerum  
 breui me confido, siquidem suppeditarit, ut spero,  
 facultas, & otium. Vale.

## Errata

## Corrige

4	Archypiratæ	Archipiratz
	Chryſtallo	Cryſtallo
11	magiſtratumque	magiſtratumque
13	merens	mœrens
	patriæ	patria
	rederet	redderet
	Pannonum	Pannonum
	illuſtre	illuſtrem
26	contingit	contigit
	præmeretur	premeretur
38	federe	foedere
	erexit	erexit
26	vt ſicuti	vt qui
30	Pyratas	Piratas
	quæſieris	quæſiſſes
32	Echenades	Echinades
36	Mecenas	Mæcenaz
37	erigere	erigere
47	Coriphæo	Coryphæo
	exquare	exquare
53	tenerrimos	renerrimos
56	perſcripti	perſcripti
59	Echenades	Echinades
65	internectionem	internecionem
71	abſolutus	abſolutus
72	patriæ	patriæ
73	quæ	quæ
75	cute; ſatiet	cute ſatiet
82	deferret.	deferrent.
83	collocares	collocaris
90	antiquam	antiquam
91	labbia	labia
96	omniumque	omnium

feliciter ſemper cum, e, præſtans cum æ

Errata leuiores Lectorum prudentia  
corrigitur.







i 18491339

A 109/030

i 18491339

UNIVERSIDAD DE SEVILLA



600066535

